SELECTORUM DOGMATUM
DE RE
SACRAMENTARIA
SPECULUM
THEOLOGICO-HISTORICUM.

PARS II.

DE

SACRAMENTIS VIVORUM

QUAM UNA CUM PARERGIS

EX UNIVERSA THEOLOGIA

DOGMATICO-SCHOLASTICO-ANTHROPOLOGICA

COLLECTIS

PRÆSIDE

P. ANGELO WINCKLER, ORD. MIN. CONV.

SS. THEOLOG. LECT. ORD.

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTUNT

P. ELECTUS KILLINGER,) EJUSD. ORD. ET STUDII

F. MARIANUS MAYER,) ALUMNI.

WIRCEBURGI DIE 4 SEPTEMBRIS MDCCLIX.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSUETIS.

Wirceburgi, typis Viduæ Walderi.

SELECTORUM DOGMATUM DE RE SACRAMENTARIA SPECULUM THEOLOGICO-HISTORICUM.

PARS II.

DE

SACRAMENTIS VIVORUM

QUAM UNA CUM PARERGIS

EX UNIVERSA THEOLOGIA

DOGMATICO-SCHOLASTICO-ANTHROPOLOGICA

COLLECTIS

PRÆSIDE

P. ANGELO WINCKLER, ORD. MIN. CONV.

SS. THEOLOG. LECT. ORD.

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTUNT

P. ELECTUS KILLINGER,) EJUSD. ORD. ET STUDII

F. MARIANUS MAYER,) ALUMNI.

WIRCEBURGI DIE 4 SEPTEMBRIS MDCCLIX.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSUETIS.

Wirceburgi, typis Viduæ Walderi.

Sequemur autem UNIVERSALITATEM *hoc modo: si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia;* ANTIQUITATEM *vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos Sanctos majores, & Patres nostros celebrasse manifestum est;* CONSENSIONEM *quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium Sacerdotum pariter, & Magistrorum definitiones sententiasque sectemur.*

Vincent. Lirinens. Commonit. c. III.

DISQUISITIO I.
DE
SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.
UNIVERSALITAS, ANTIQUITAS, CONSENSIO CONCILIORUM.

Ex C. Nicæn. c. 13. de non neganda S. Communione existentibus in periculo mortis.

Ex C. Cæsar-August. A. 381. c. 3. Anathema iis, qui Eucharistiam in Ecclesia non sumunt.

Ex C. Carthag. IV. c. 38. Diaconus jubente Presbytero Eucharistiam distribuat.

Ex C. Braccar. A. 563. c. 4. ordine Romano Missæ omnes utantur.

Ex C. Rotomogens. A. 650. c. 12. ut celebrans ipse propria manu communicet, cum dicto: *Corpus Domini & Sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum, & vitam æternam.*

Ex C. Triburiensi A. 895. c. 18. in vasis ligneis non conficiatur sacrum mysterium Corporis & Sanguinis Dominici.

Ex C. Lateran. A. 1215. c. 1. Jesu Christi Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem, cujus Minister est solus Sacerdos.

Ex C. Lambethensi A. 1281. c. 1. doceant simplices, quod sub panis specie detur iis Corpus & Sanguis Domini.

Ex C. Florent. Decr. *Exultate.* Eucharistiæ materia est panis triticeus, & vinum de vite: forma sunt Salvatoris verba: sub quavis specie totus Christus continetur, & sub quavis parte: effectus est augere gratiam, confortare & nutrire. Cætera.

Ex C. Trid. Sess. XIII. *de SS. Eucharistiæ Sacramento.* Vere, realiter & substantialiter illic Christus continetur: fit conversio totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam *conversionem* Catholica Ecclesia aptissime *Transubstantiationem* appellat. Cætera. Ex Sess. XXI. *de Commun. sub utraque specie.* Ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes & singuli Christi fideles utramque speciem sumere non debent: justis de causis Communio sub una Laicis est præcepta. Cætera. Ex Sess. XXII. *de Sacrif. Missæ.* In Missa offertur Deo verum & proprium Sacrificium illis verbis: *hoc facite in meam commemorationem*, Christus instituit Apostolos Sacerdotes. Cætera.

Prop. damn. de Sacram. Euch. ab Innoc. XI. Prop. LV. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

LVI. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

Ab Alexand. VIII. Prop. XXIII. Arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

De Sacrif. Missæ. ab Alexand. VII. Prop. VIII. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

IX. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

X. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

§. I. Institutio Eucharistiæ.

Christus pridie mortis suæ vere Pascha judaicum celebravit, & quidem uno eodemque cum Judæis tempore.

DECLARATIO I. Part. I. *Antiquit. Script.* Ex Math. c. 26. Marco c. 14. Luca c. 22. hæc tria certissima habentur: 1mo Christum sancte proposuisse, quod agnum Paschalem ritu Mosaico comedere voluerit. 2do Præcepisse expresse Apostolis, ut agnum pararent. 3tio Agnum denique Paschalem vere manducasse. Ergo. p. 1um *Euntes*, inquit Christus in cit. loc. *parate nobis Pascha, ut manducemus... ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem...ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?* p. 2um Misit deinde duos ad quemdam cui dicerent discipuli: *tempus meum probe est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha.* p. 3um *Vespere autem facto discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Quæ verba, si quis ad novum Pascha scilicet *Eucharistiam* transferre conatus fuerit, næ ille ridiculum se præberet. Illud enim Pascha manducare Christus voluit, quod adveniente *azymorum die necesse erat occidi.* Atqui. Ergo.

II. *Consens. Trad.* Hanc sententiam universa amplectitur Ecclesia cum Trid. Sess. XXII. c. 1. asserens: *celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat, novum instituit Pascha.* Dein in solemniis Corporis Christi quoties in hymno ad Matut. canit: *post agnum typicum, expletis epulis* &c.? sed & ipse Tertullianus, Origenes, Epiphanius, Cyrillus Hieros. Chrysost. & Augustinus eandem doctrinam tuiti sunt, ut nil dicam de Quartodecimanis, neque a Victore, neque a Nicænis Patribus in hoc unquam correptis.

II. Pars. I. Antiquit. Script. Juxta Evangelistas *primo die Azymorum, quando Pascha immolabant*, seu, *in qua necesse erat occidi Pascha*, Christus Pascha comedit: atqui non minus ad reliquos Judæos, quam Christum dies illa spectabat, nam agnum comedit, *quando illi Pascha* immolabant, & ea die, *in qua necesse erat occidi Pascha.* Ergo.

II. *Consens. Trad.* Non modo Christus, sed & Judæi observandissimi legis Mosaicæ fuere. Ille quidem, quod *non venerit solvere, sed adimplere.* Hi vero, quod antiquæ hujus consuetudinis celebrandi Paschatis non modo Exod. 12. Numeror. 9. v. 5. Paralipom. c. 30. v. 15. 1. Esdr. c. 6. v. 19. sed & a testibus rei hujus omni exceptione majoribus Josepho de bell. Jud. L. 7. c. 17. & Philone Judæo Lib. de septenario. Et Lib. 3. de vita Moysis refe-

referantur tenacissimi. Quin & primis Ecclesiæ Sæculis Judæos morem antiquum tenuisse, vel ipse *Quarto-decimanorum* error probat, ut qui Judæorum exemplo nixi volebant Pascha more Judæorum debere a Christianis fieri die decima quarta primi mensis ad vesperam, in quamcunque hebdomadæ diem incideret, atque adeo Sæculo secundo, tertio, & quarto infestabant, donec Oecumenicæ Nicænæ Synodi decreto fuerint extincti. Ex queis ita inferre licet. Tam Christus, quam Judæi die a lege præscripta agnum Paschalem manducarunt, ergo cum hæc una duntaxat per legem designata fuerit scilicet *Mensis Nisan* Luna 14ta Exod. 12. & Deut. 16. etiam uno eodemque die illum manducaverunt. Illatio hæc inconcussa manet, dum Adversarii evincant, aut Christum antevertisse tempus Paschatis, aut Judæos distulisse. Quorum quidem neutrum certo argumento confecerint.

III. *Vanitate Systemat. Contrar. sententia* Cel. Harduini asserentis, tempore Christi usos esse Judæos duplici Neomenia, a Phase lunæ, & a congressu planetarum deducta, atque adeo Judæis, & Galilæis alterutram diei decimæ quarta vesperam ad Pascha faciendum alternatim assignatam fuisse: vel nullum, vel non nisi tenue, ex divinis scripturis, & historica auctoritate fundamentum habet. Igitur non convincit Christum & Judæos non eadem vespera agnum typicum comedisse. p. 1um *Quoad Script.* quæ non solum hujus duplicis Neomeniæ non meminit, verum etiam aperte Exod. 12. v. 6. docet Phase simul immolandum *ab universo Israëlitarum cætu:* atqui non immolatus fuisset Phase ab universo Synagogæ, seu Israëlitarum cætu, si Galilæi unam diem, Hierosolymitani alteram diem servassent, atque diversæ Neomeniæ, diversique calculi obtinuissent. Ergo. p. 2um Quoad *Aut. Historic:* quinam essent *Neomeniæ* dies a Synedrio, sive Synagogæ rectoribus erat constitutum. A *Synedrio traditum est illud* inquit Rab. Moyses in tract. Kiduſch-Hachodeſch c. 1. §. 5. *nempe observare visionem lunæ, & cum Synedrium indixerit, ac præfinierit diem illum pro Neomenia, idem habendus est pro Neomenia.* Sed una pro omni Synagogæ cætu hujusmodi Neomenia est constituta. Ergo. Denique duplex hæc Harduini Neomenia potissimum regulæ illi Judæorum, quam *Badù* vocant, innititur. Quæ quantæ sit fidei, proxime subjungemus. Unde

Sententia Ruperti Abbatis Tuitiensis, & aliorum Judæos anno passionis Christi distulisse Pascha in proximum Sabbatum, & exeuntem lunam decimam quintam non ex regula *Badù*, non ex lege de metendo manipulo die azymorum secunda, non ex Concilio inito occidendi Christum, non ex peculiari cyclo phasi, motibusque lunæ contrario monstratur. *Non ex* 1mo regula enim illa tempore Christi nondum fuerat excogitata, quemadmodum Cl. Petavius Not. in Epiph.

pag. 185. scribit. Dein teste Rab. Abenezrae in Levit. cap. 23. etiam in feriis *Badù*, secunda scilicet, quarta, & sexta celebratum fuit Pascha. Atque adeo altero Rab. Moyse Ben-Maimonide c. 7. *Hiddusch Habodesch* teste *non alia de causa recepta fuit regula Adic, nisi ut computus dierum accomodaretur ad conjunctiones solis, & lunæ secundum medium motum illorum syderum, non habita ratione veri eorumdem loci. Non ex* 2do præceptum Levit. c. 23. datum, ut postridie diei festi Paschæ meteretur, & deferretur manipulus spicarum ad Sacerdotem etiam die Sabbati fieri poterat, nam messis hæc *manualis manipuli elevandi* coram Domino, non erat Sabbati observationi contraria, & inter opera servilia comparando, sed actus potius religionis, & festivitatis. Quid quod ex antiquis Judæorum traditionibus habeatur, manipulum hunc *Homer* dictum, cum publicis etiam cæremoniis Sabbato fuisse demessum. *Non ex* 3tio ut enim ex comuni Rabbinorum doctrina ostendit Drusius in c. 26. Math. Judæis in more positum fuit, insignes reos plectendi extremo judicio in solemni festo. Dein ex ipsomet Evangelio colligitur, Hebræis jam solemnitatem Paschalem agentibus, Domini Passionem incepisse. Nimirum *quando Judæi Pascha immolabant, quando necesse erat occidi Pascha. Non ex* 4to quia duplicis hujus calculi, quorum unum Christi, alterum Judæi servaverint, nullum in Scriptura reperitur vestigium. Dein periodo qualicunque servata necesse erat, ut Pascha ab omnibus perageretur *uno, eodemque die*, scilicet *primo Azymorum.* Tandem illi, qui comminiscuntur solemnitatem Paschatis eo anno cum subsequente Sabbato conjunctam fuisse, ne duo festivi dies se invicem insequentes occurrerent, se ipsos illaqueant, nam si anno mortis Christi, dies prima azymorum in diem Veneris cadens, ad vitandam consequentium festorum incommodum in Sabbatum sequens translatum sit: quid de septima dicendum, de qua Exod. 12. itidem præceptum est, *& dies septima eadem festivitate venerabilis?* nunquid si dies prima in Sabbatum translatum fuit, dies dein septima in sequentem diem Veneris incidit? adeoque duo sese festivitates immediate contigerunt? fatendum igitur, quod quemadmodum una Paschalis dies lege divina est præfixa, ita & a Christo, & ab universo Judæorum cœtu, uno eodemque tempore sit celebrata.

Consect. Hist. Chronolog. Hactenus memorata proposito nostro conveniunt, quæ particulatius de tempore, luna, ac die quæruntur, Chronologici, non Theologici fori sunt. Equidem hos in Eruditorum tricas minutim immittere nostrum non est, censemus tamen

I. A Christo hoc ipsum Pascha manducatum fuisse ad secundam vesperam lunæ 14ta, non vero ad primam. Nimirum Christus in Paschate celebrando legale tempus observavit. At hoc tempus fuit lunæ 14ta secunda vespera, id quod vario argumento confici

fici poteſt. Nam 1mo ubi legitur Exod. 12. *immolabit eum univerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam*, habet hebraicus textus, & *immolabunt eum omnis cætus Synagogæ Iſraël inter duas veſperas*. Nimirum inter tempus veſpertinum diei 14ta. & veſperam unde exordium ducit dies decima quinta. Igitur mactandus erat agnus luna 14ta exeunte, & manducandus ſub noctem diei 15tæ. Unde Lyranus noſter *immolabatur autem*, inquit, *ad veſperam, quia illa hora jam pertinebat ad diem ſequentem SOLEMNEM*, in qua *exiverunt* de Ægypto. Unde 2do *veſperam*, in qua mactabatur agnus Paſchalis, ſequebatur SOLEMNIS, & feſtiva dies 15ta. ut patet ex Math. c. 27. qui feriam ſextam proxime ſubſecutam ad Euchariſtiæ inſtitutionem appellat *diem ſolemnem*, in qua Pilatus dimittebat Judæis vinctum aliquem. Id quod & Joſephus ac alii Judæi teſtantur. Atqui, ergo. 3tio Deut. 16. habetur: *Immolabis Phaſe veſpere ad ſolis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto*. Atqui filii Iſraël profecti ſunt de Rameſſe menſe primo quinta decima die menſis primi, altera die Phaſe: ergo etiam veſpera decimam quintam diem antecedente nimirum luna 14ta agnum mactabant. Unde eximius temporum metator Beda de Rat. temp. c. 45. præclare ſcripſit: *quod Dominus decima quinta luna, feria ſexta crucem aſcenderit, & una Sabbatorum, id eſt, die Dominica reſurrexerit a mortuis, nulli licet dubitare Catholico, ne legi, quæ agnum paſchalem decima quarta die primi menſis ad veſperam immolari præcepit, pariter & Evangelio, quod Dominum eadem veſpera tentum a Judæis, & mane ſexta feria crucifixum, ac ſepultum, prima Sabbati reſurrexiſſe perhibet, videtur incredulus*. Ex queis profluit

II. Paſcha, nempe hoc ultimum a Chriſto celebratum fuiſſe feria quinta. Evangeliſtæ quippe perhibent Chriſtum in *Paraſceve*, hoc eſt, die Sabbatum præcedente, ac proinde feria ſexta mortuum fuiſſe. Traditio autem, quin & divinæ literæ non obſcure innuunt, pridie mortis Chriſtum Paſcha celebraſſe, igitur feria quinta. Idem diſertis verbis docet S. Ambroſ. Ep. 83. ad Epp. Æmiliæ. S. Proterus Succeſſor Cyrilli Alexand. in Ep. ad Leonem Imp. de ratione Paſchat. Tabulas autem Chronologico-Aſtronomicas, in quarum compluribus legere eſt anno mortis Chriſti lunam 14tam menſis Niſan ſignari feria ſexta, hic nil moramur, quod incertis illæ, & invicem etiam pugnantibus ſuppoſitis ſint ſuperſtructæ. Nimirum quemadmodum inſigniores Critici advertunt, ut ex principiis Aſtronomico-Chronologicis hic certis quid erui poſſet, oporteret tenere annum, quo Chriſtus in crucem actus eſt: item præſciendum eſſet, num Judæi menſes ſuos auſpicati fuerint a primo ſolis & lunæ congreſſu, an vero a prima lunæ Phaſe? At ſingula hæc apud Eruditos incerta ſunt, quin ſpes ſit, annum mortis Chriſti certo determinandum eſſe. Igitur Cel. Chronologus Petavius L. 12. de doctr. temp.

c. 12.

c. 12. non dubitavit præmonere: *desinant Chronologi in anno & die passionis eruendo Mathematicorum calculis, noviluniorum, pleniluniorumque minutiis, ac scrupulosis ratiociniis sibi, ac lectoribus suis negotium facessere.*

§. II. Sacramentum Euchariſtiæ.

Euchariſtia eſt verum L. N. Sacramentum, idemque conſiſtit in re permanente, & non in actione ſolum tranſeunte in ſenſu Novatorum.

DECLARATIO I. Part. *Conſenſ. Script. & Trad.* Euchariſtia definitur *corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpecibus panis, & vini Sacramentum, ad ſpiritualem animarum alimoniam, & refectionem a Chriſto inſtitutum.* At hic omnia ad rationem Sacramenti requiſita exprimuntur. Nam ſpecies panis, & vini ſunt *ſignum ſenſibile.* Hæ ipſæ, prout corpus Chriſti continent, a Chriſto ſunt *divinitus inſtitutæ.* Ipſam porro gratiam velut cauſæ ſuum effectum non tantum ſignificant, ſed etiam ex inſtitutione Chriſti in ſumentibus cauſant juxta illud Joan. 6. *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Ergo. Concordant omnis ævi PP. & CC. ut ne ſectarii quidem in hoc litem moveant.

II. Part. I. *Conſenſ. Script.* Ipſa divina Veritas Euchariſtiam conficiens dixit: *hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* Igitur cum Chriſti verba ſtatim ac prolata ſunt, fuerint vera, & efficacia, ante ipſam utique manducandi, & bibendi actionem aderat jam ſub ſpeciebus panis, & vini, corpus, & ſanguis Chriſti; conſequenter extra uſum dabatur verum Euchariſtiæ Sacramentum.

II. *Univerſalit. PP.* Cyrill. Alexand. Epiſt. ad Caloſyrium: *inſaniunt quidam dicentes myſticam benedictionem ceſſare a ſanctificatione, ſi quæ eis reliquiæ remanſerint: non enim mutatur Sacramentum Corporis Chriſti.* Cyrill. Jeroſ. Catech. 5. *accede ad calicem ſanguinis illius pronus, adorationis in modum.* Auguſt. in Pſ. 98. *nemo carnem illam manducet, niſi prius adoraverit.* Chryſoſt. Hom. 24. in 1. ad Corinth. *illi,* nempe Magi *eum in præſepe viderunt, tu vero non in præſepe, ſed in altari.* Accedunt Ambroſ. Hyer. Theodor. Tertullian. adeo, ut ipſe Calvinus non potuerit non fateri *antiquitatem ſtare pro nobis.* nempe

III. *Antiquit. Trad.* Quæ innumeris monumentis demonſtrat veterem praxim in longius etiam tempus aſſervandi Euchariſtiam. 1^mo^ Cum in ſignum pacis, & charitatis ad abſentes mitteretur. 2^do^ In privatis ædibus, ut tempore perſecutionum, morborum, aliorumque periculorum pro opportunitate privatim ſumi potuerit. 3^tio^ Ut ad infirmos deferretur. Cujus teſtem habemus Euſebium. Cæſarienſem, qui ex Dyoniſio Alex. Sæc. III. Patre in Hiſt. Eccleſ. L. 6. c. 33. refert Serapionem ad extrema deductum a puero per Presbyterum ſubmiſſo Euchariſtia refectum fuiſſe.

Con-

CONSECT. POLEM. MORAL. I. Ex veritate nunc declarata manifesto colligitur, quam malevole Calvinus, & Kemnitius morem Ecclesiæ, quo Eucharistiam, aut publice exponimus, aut in solemni supplicatione fidelibus adorandam proponimus, novitatis, aut *Artolatriæ* insimulent. Licet enim supplicationes Theophoricæ moderno ritu Sæc. primum XIII. auctore Urbano IV. haberi cœperint, constat tamen primos etiam Christianos Eucharistiam sæpissime cum veneratione circumgestasse. *Artolatriam* autem eo ineptius oggerunt, quod sub consecratis speciebus nil amplius supersit de substantia panis.

II. Quodsi jam quæratur, in quibus nominatim, ceu partibus Sacramenti naturam constituentibus, Eucharistia consistat? licet istud ad fidei doctrinam parum conferat, censemus nihilominus verisimiliorem esse illorum e schola Scoti sententiam, qui statuunt, Sacramentum Eucharistiæ formaliter, & essentialiter in recto importare solas species consecratas, connotantes autem in obliquo corpus, & sanguinem Christi sub iis contentum. His enim præcise habitis tota Sacramenti ratio habetur, nempe *signum sensibile a Deo institutum ad significandam, & causandam gratiam.* Interim etiam consecrationis verba, & sumptio ad Eucharistiam pertinent. *Verba*, ut efficiatur Sacramentum. *Sumptio* autem, quo per hanc illud applicetur ad percipiendum Sacramentalem effectum.

III. Quamquam autem Eucharistia diversis constet symbolis, ac materia specie diversa, pane videlicet & vino, quia tamen hæc omnia ad unam significationem practicam ordinantur, unumque, & eundem Sacramentalem effectum causant, Eucharistia est unum duntaxat specie Sacramentum. Tot autem numero sunt Sacramenta, quot sunt species consecratæ, tot in ratione edulii, vel convivii spiritualis, quot sunt moraliter refectiones.

§. III. Materia Sacramenti Eucharistiæ.

Nihil interest ad Sacramenti substantiam sive in azymo sive in fermentato Eucharistia consecretur. Contra Michael. Cerular. Sæc. XI. a Leone IX. & Humbert. Card. confutatum, Græcosque recentiores.

DECLARATIO I. Part. *Antiquit. Script.* Christus Dominus ipse in azymo consecravit, celebravit enim postremam cœnam exeunte quarta decima die Mensis Nisan, ac die prima azymorum, quando e Judæorum domibus sublatum erat fermentum, & aderant tantum mensis appositæ azymi panis placentæ. Ergo.

II. *Universalitate Trad.* Ecclesia Latina semper ab Apostolorum ætate azymi usum retinuit. Nempe quia *azymus* non minus, ac *fermentatus* est simpliciter verus, & usualis panis. Hic

Hic, quia eo quotidie utimur. Ille, quia etiamsi communiter ob minorem sapiditatem eo non utamur, nihilominus ex farina triticea cum aquæ naturalis admixtione est coctus, & ideo quamdiu durabant festa Paschalia, a Judæis adhibebatur. Unde ante XI. Sæculum nulla Orientales inter, & Occidentales de Azymo controversia fuit, ut constat tum ex testimonio Leonis Papæ IX. tum ex silentio Photii schismatis auctoris, & Sæc. IX. Pseudo-Patriarchæ Constantinopolitani. Secutis dein ab XI. Sæculo temporibus concors cum Latinis consensio fuit: adeo ut in Florentino ex Occidente & Oriente ad an. 1489. congregato communi suffragio fuerit definitum, *in azymo, sive in fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere.*

II. *Part. Consens.* Utriusque Ecclesiæ, quæ ex epist. Leonis P. IX. ad Michael. Cerular. & Leonem Acridanum satis elucescit. *Ecce in hac parte,* inquit, *Romana Ecclesia, quanto discretior, & Clementior vobis* est? *si quidem cum intra, & extra Romam plurima reperiantur Græcorum monasteria, sive Ecclesiæ; nullum adhuc eorum perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, sive consuetudine: quin potius suadetur, & admonetur eam observare . . . scit enim Romana Ecclesia, quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco, & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona, quæ potest, uni Deo commendat omnes.*

Consect. Hist. Moral. Græci non minus, ac Latini rituum suorum causas habent congruentes. Illi, ut quam maxime a Judæis recedant, & admixtione tritici cum fermento unionem naturæ divinæ cum humana in Christo repræsentent. Hi, ut pane corruptionis, sive fermenti ex parte significent Christi corpus in incorrupto Virginis utero conceptum, ac denique animi munditiem, ac candorem ad hoc Sacramentum afferendum.

II. Usus azymi, ac fermentati ab ipsis Evangelii primordiis videtur repetendus, eoquod vix ullum historicum monumentum proferri possit, quo etiam Græci fermenti usum novo more introduxerint. Unde probabilis redditur illorum sententia, tam Græcos, quam Latinos primitus pro conficienda Eucharistia promiscue adhibuisse panem azymum, & fermentatum. Quonam autem tempore pro Occidentalibus panis azymi, pro Orientalibus autem fermentati usus universalis primum inductus sit, id vero incertum affirmamus. Conjectare licet Sæculo IX. Latinæ, & Græcæ Ecclesiæ disciplinam quoad hoc nondum fuisse diversam. Ita autem in Occidente a Sæc. VIII. morem azymi invaluisse, ut Sæc. XI. universalis esset, nec amplius Latinis fermentato uti liceret.

III. Ut de materia demum calicis etiam insinuemus quidquam, asserimus solum de vite vinum esse illius materiam. Vinum enim de vite consecravit Christus. Math. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* In quæ

verba

verba Chryf. Hom. 83. contra Aquarios *de genimine vitis*, inquit, *quæ certe vinum, non aquam* produxit . . . *ut ostenderet, quia & quando hoc mysterium tradidit, vinum tradidit.*

IV. Huic nihilominus ex præcepto Ecclesiæ modica aqua misceri debet. At num hæc aquæ in sanguinem conversio sit mediata tantum, an immediata, fateor, celebris olim controversia fuit: mediatam conversionem propugnantibus Veteribus, immediatam Recentioribus multis. Decisionem ejus exigentes alieno nempe philosophico foro se submittant necesse est. Ubi etiam a partibus pro immediata conversione agentibus, tantisper stare meditamur.

§. IV. Forma Sacramenti Eucharistiæ.

Forma necessaria necessitate Sacramenti pro consecratione panis consistit in his solis, aut æquivalentibus Christi verbis: *hoc est corpus meum*, & pro consecratione calicis: *hic est calix sanguinis mei.* Ea proinde, quæ illis Latini & Græci præterea adjiciunt, necessaria non sunt ad valide perficiendum hoc Sacramentum.

DECLARATIO I. *Consens. Script.* Christus Dominus tantum præcitatis verbis mutavit panem in corpus suum, & vinum in sanguinem. Nam tria leguntur facta a Christo circa panem, & vinum; scilicet 1^mo^ gratiarum actio. 2^do^ Benedictio. 3^tio^ Panis, & vini mutatio in corpus, & sanguinem suum. At non consecravit *gratias agendo*; quia gratiarum actio habet Deum pro objecto, & non panem. Nec *benedicendo*; quia panem semper benedicebat, cum sumebat; quin & benedictio præcessit consecrationem. Restat igitur, ut tunc consecraverit, cum dixit: *hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei.* Igitur & nos iisdem verbis consecramus, & non aliis antecedentibus, vel subsequentibus: reliqua enim verba ab Evangelistis relata, aut non sunt a Christo pronunciata, ut *accepit Jesus panem, benedixit* &c. aut licet Christi verba sint, significant duntaxat aut præceptum, & finem sumendæ Eucharistiæ, ut illa *accipite, comedite, bibite, hoc facite in meam commemorationem*: aut passionem Christi vel effectum Sacramenti, qualia sunt de corpore, *quod pro vobis tradetur*, de sanguine, *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.*

II. *Consens. PP.* S. Ambros. de Sacram. Lib. 4. c. 4. *Consecratio igitur*, inquit, *quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris, ubi venitur, ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.* S. Aug. Serm. 28. de verbis Domini ait: *cum de Sacramentis tractarem,*

dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur in altari, panis dicitur: ubi verba Christi deprompta fuerunt, jam non panis dicitur. Denique Florent. in Decr. pro Arm. dicit, formam hujus Sacramenti esse *Verba Salvatoris*, quibus Sacerdos, *in persona Christi loquens* hoc conficit Sacramentum. Et Trid. Sess. 13. c. 1. ait, Eucharistiam a Christo institutam, cum *post panis, & vini benedictionem se suum corpus præbere, & sanguinem verbis testatus est.*

Consect. Moral. I. Igitur cum Christi verba nec concionem, nec lectionem præseferant, nec unquam Apostoli, nec primitiva Ecclesia talem habuisse concionem, vel lectionem legatur, inaniter Sectarii eandam necessariam excogitaverunt.

II. Neque Catharini, & quorundam Græcorum opinio, quæ asserit Eucharistiam confici precibus, & invocatione, sufficienti fundamento nixa est. Hæc enim verba a Christo non sunt instituta, quæ tamen sola conficiunt formam consecrationis. Unde dum PP. subinde totam liturgiam, aut canonem vocant consecrationem, hanc latiore sensu accipiunt; quatenus nempe preces ab Ecclesia insertæ deserviunt instar præparationis proximæ ad ipsam Eucharistiæ consecrationem vel sumptionem.

III. Verba autem consecrationis proferuntur *recitative*, simul & *assertive*. *Recitative*, quatenus Sacerdos refert historiam institutionis Eucharistiæ: *assertive*, in quantum affirmat, quod affirmavit Christus, cujus personam Sacerdos gerit. Ipsa denique pronomina *Hoc*, & *Hic* non adjective, sed substantive sumuntur, quatenus directe ad corpus & sanguinem Christi sub speciebus contentum referuntur, unde & confuse demonstrant Christi Corpus sub ratione edulii, & sanguinem sub ratione potus.

§. V. Veritas Realitatis Eucharisticæ.

In sanctissimo Eucharistiæ Sacramento vere, realiter, & substantialiter continetur corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini consecrati. Contra Wicleff. Carolstad. Zwing. Calvin.

DECLARAT. I. *Universalit. Script.* Christus non minus fidelis est in promissis, quam verax in dictis: at Joan. 6. v. 52. promittit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* ergo vere & realiter illa dedit. Nec dicat Calvinus, promitti Corpus & Sanguinem Christi solum per manducationem spiritalem, seu per fidem. Nam juxta regulam ab August. L. 3. de doct. Christ. c. 10. traditam, Scriptura Sacra ad litteram est intelligenda, quando inde nulla oritur contradictio aut inconvenientia: atqui, ergo. Dein si intelligendus est de manducatione per fidem, cur Judæi obmurmurantes dixe-

dixerunt: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* cur quidam Discipuli scandalizati: *durus est hic sermo?* Cur Christus auget præcedentem sententiam juramento: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.?* Cur panem a se dandum præfert Mannæ, quod tamen etiam ab antiquis Patribus per fidem in Christum fuit manducatum? Dein promisit in cibum se daturum illam carnem, quam erat *daturus pro mundi vita*, sed pro mundi vita veram ac realem carnem dedit, & non ejus duntaxat figuram, ergo.

II. Quod Christus promisit, realiter exhibuit Math. 26. his verbis: *Comedite, hoc est corpus meum: bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus.* Et ne figurate loqui videatur, addit: *qui pro multis effundetur*; sicut Paulus addit 1. Cor. 11. *quod pro vobis tradetur.* Atqui in passione Christi datus est nobis verus sanguis, verum corpus, igitur etiam in illa cœna verum nobis corpus & sanguinem dedit. Unde & Apostolus c. cit. comminatur, quod indigne sumens fit reus *non figuræ*, sed *ipsius veri ac realis corporis & sanguinis*; quia videlicet recipit non tantum figuram, sed ipsius corporis & sanguinis realitatem.

Consect. Dogmat. I. cit. Joan. c. 6. aliquando figuratum sensum ingeri, ipsi non diffitemur: at tres illius cap. partes accurate ab invicem secernendas prætendimus. Primo enim illic a v. 5. usque ad 14. Christus agit de pane materiali per miraculum multiplicato. Dein a v. 27. ad 51. de se ipso, ut pane spiritali per fidem manducando, seu credenda sua divinitate, & incarnatione. Ac demum a v. 51. de Eucharistia verbis illis: *Panis, quem ego dabo, caro mea est* &c. in hac autem parte de reali manducatione Christum loqui vel inde liquet, quod Christus promittat se novi quidpiam, ab Israelitis nondum manducatum, daturum: *Non sicut manducaverunt Manna Patres vestri & mortui sunt ... si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

II. Similes propositiones: *ego sum vitis vera, ego sum ostium, Joannes est Elias*, sumuntur quidem in sensu figurato, minime tamen ista: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*: id quod ex ipso contextu, vel subjecta materia aut ratione evidente colligitur. Nam inprimis in præfatis propositionibus aperta est repugnantia termini prædicati cum altera subjecto; nulla autem in hac: *hoc est corpus meum*, utpote quæ in sensu orthodoxo ita exponenda est; *hæc res, quæ sub his panis speciebus continetur, est corpus meum.* Ulterius in aliis propositionibus aliquid aut præcedit, aut subsequitur, aut certe in iis tale subjectum, aut prædicatum ponitur, ratione cujus aperte colligitur sensus allegoricus; in casu autem nostro hæc verba: *quod pro vobis tradetur, qui pro vobis effundetur*, sensum proprium aperte indicant.

§. VI. Antiquitas Realitatis Eucharisticæ.

Putida Novatorum calumnia est, doctrinam de reali Christi præsentia veteri Ecclesiæ ignotam fuisse, neque nisi serius invectam illam. Contra Blondellum & Claudium non ita pridem Sacramentariorum apud Gallos Carentonenses Ministrum.

DECLARATIO I. *Antiquit. PP.* Quos venusto sæculorum ordine Bellarminus toto Lib. 2. de Eucharist. adducit. Et quidem Sæc. I. S. M. Ignatius Epist. ad Smirnens. sic habet: *oblationes non admittunt, quod non confiteantur, Eucharistiam esse carnem Salvatoris D. N. J. C. quæ pro peccatis nostris passa est.* Sæc. II. Justinus M. in Apolog. 2. ad Antonium: *Jesu Christi, ejus, qua homo factus est, & carnem & sanguinem esse in Eucharistia accepimus, Apostoli enim ita tradiderunt.* Sæc. III. Cypr. Serm. de Cœna Dom. *Panis iste non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro.* Sæc. IV. Cyrill. Hierosol. Catech. 4. Mystagogiæ: *Cum Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane: hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?* Reliqui vid. apud cit. Bellarm.

II. *Antiquit. CC. & Præscript.* Nicænum I. Lib. 3. cap. de Sac. Missæ: asserit corpus Christi sine ulla distinctione, limitatione, aut mutatione figuræ. Ephesinum in Epist. Cyrilli ad Nestorium, quam approbavit: *Sacræ carnis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Salvatoris participes effecti.* His addenda Nicænum II. Vercellense, Turonense, Romanum contra Berengarium, aliaque in fronte Disquisit. hujus notata. Præterea vel Apostolorum temporibus credita est realis Christi existentia, vel non? si primum: ergo dogma hoc omnium Sæculorum est. Si secundum, dicant quæso Sacramentarii, quo anno, quo Sæculo, quo authore, qua in urbe, quo in regno, aut mundi parte cœperit sententia realitatis? Blondellus equidem Sæc. VII. Anastasium Sinaitam, aut certe Sæc. VIII. Epiphanium Diaconum in Conc. Nicæno II. act. 6. Claudius vero Paschasium Radbertum Corbejensem Abbatem Sæc. IX. producit. At quid istud nisi petulans commentum? tum quod hi ipsi mendaciorum architecti sibi invicem aperte contradicant, cum quod nuspiam legatur aut Anastasius aut Paschasius a Pontificibus, & Conciliis impeditus ob novitatem in fide introductam: cum ex adverso oppositum docens Berengarius, & qui eum in errore præcessit ad initium Sæc. IX. *Joannes Scotus Erigena* acerrime fuerit exagitatus.

CONSECT. HIST. I Haud dissimulamus quidem a PP. subinde vocabula *signi, Sacramenti, imaginis* adhiberi, at probandum manet HH. Patres sumpsisse

ſumpſiſſe hæc vocabula in ſenſu *realitatis* excluſivo. Nimirum corpus Chriſti ſub aliena ſpecie latens in Sacramento eſt figura ejusdem ſub ſpecie propria exiſtentis, ac ſub hoc nati, paſſi, & mortui in cruce. Hoc certo ſenſu Chriſtus in ſpecie hortulani olim apparens, fuit figura ſui ipſius. Præterea PP. aliqui nonnunquam obſcure & figurate loquuntur, ſeu quod myſterium hoc voluerint eſſe infidelibus *Arcanum*, id quod ex *diſciplina arcani* docemur: ſeu quod ſciverint a fidelibus eo tempore, quo nondum enata fuit infelix Sacramentariorum hæreſis in ſano ſenſu ſe intelligendos. Inde ut rite intelligantur, attendendus eſt contextus ſermonis, combinanda alia illorum loca, ac denique illorum dicta conformiter ad textum ſacrum exponenda.

II. Quin & illa Chriſti verba: *niſi manducaveritis* &c. in ſenſu nonnunquam myſtico a quibusdam exponi, damus. At expoſitio myſtica literalem non excludit. Idem ſæpe locus Scripturæ & myſticum, & literalem ſupponit ſenſum. Fuit vero id Patribus maxime familiare, ut eundem locum nunc literaliter, nunc myſtice exponerent; id quod vel præprimis claret in S. P. Auguſtino, in quo HH. perperam tanquam ſuo gloriantur. Unde

§. VII. Vindiciæ S. P. Auguſtini.

Fruſtra Novatores apud M. Aurelium Auguſtinum malæ ſuæ cauſæ patrocinium quærunt.

Argument. I. Quæ in hanc rem HH. proferunt, ſunt hæc potiſſimum. Tract. 25. in Joan. ait: *Quid paras dentes & ventrem? crede, & manducaſti.* Et Tract. 26. *Credere in eum, hoc eſt manducare panem vivum.* At nunquid hæc ſufficiunt Novatorum intento? minime gentium. Fatemur ultro hic loqui Auguſtinum in ſenſu myſtico; at propterea literalem non excludit; cum in ipſo Tract. 26. in Joan. illa verba: *ego ſum panis vitæ*, explicans aſſerat: *nam & nos hodie accipimus viſibilem cibum; ſed aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti, quam multi de altari accipiunt.* Et ibidem: *ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ſed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat.* Atque hoc etiam pro aliis PP. notandum, dum volunt ab impiis non manducari Chriſti corpus. Conformiter nempe ad D. Auguſtini mentem, ſcilicet non manducatur *ſpiritaliter*, ſeu ad participationem ſpiritus per gratiam, bene vero *realiter*, & *Sacramentaliter*. Clariſſime etiam loquitur in Pſ. 33. Conc. 1. cujus titulum explicans nempe: *& ferebatur in manibus ſuis*, ſcilicet David ait: *manibus aliorum poteſt portari homo: manibus*

ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum literam, non invenimus: in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim in manibus, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: hoc eſt corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus ſuis.

Argumentum II. In Pſal. 98. *de carne Mariæ*, inquit, *carnem accepit, & in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit.* Item Lib. 2. contra Adverſar. Leg. c. 9. ait. *Mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum Jeſum carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem, fideli corde atque ore ſuſcipimus: quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum ſanguinem potare, quam fundere.* Nec obſtat, quod Lib. 3. de doct. Chriſt. c. 16. doceat. *Si præceptiva locutio eſt, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non eſt figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata eſt: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: facinus, vel flagitium videtur jubere. Figura eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter, atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata ſit.* Nam τὸ *figura eſt ergo* non opponit reali, & incruentæ manducationi, ſed cruentæ, & conſuetæ carnium ſecationi, coctioni, & poſt cocturam manducationi in ſenſu nimirum materiali Capharnaitarum, de qua præmittit: *facinus vel flagitium videtur jubere.* In ſumptione certe incruenta nullum facinus aut flagitium eſt, quin potius ſumma utilitas, ac beneficentia. Quocirca potius recurrit prius præmiſſa regula Auguſtini: ſi præceptiva locutio eſt, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, (qualis eſt ſumptio incruenta) non eſt FIGURATA. Nihilominus incruenta manducatio eſt figura, quatenus repræſentat paſſionem Chriſti, in qua is vere occiſſus eſt, cui paſſo communicare, quemque imitari eſt fructus Sacramenti. *Et hoc illibatum deſignat illud altaris Sacramentum, ubi Dominicum corpus accipimus*, inquit. S. Bernardus in Pſ. 90. *qui habitat.* ad verſ. 3.

CONSECT. MORAL. SCHOLAST. Aſſerta reali præſentia, nunc quæ ad ejusdem dogmatis pleniorem notitiam faciunt, ſunt evolvenda. Ac

I. quamvis vi verborum conſecrationis in Euchariſtia ſolum Chriſti corpus ſub ſpecie panis, & ſolus ſanguis ſub ſpecie vini ponatur: per concomitantiam tamen totus omnino Chriſtus ſub unaquaque ſpecie, ac etiam ſub quavis ſpecierum parte ſenſibili continetur. Id quod pluribus exponit Trid. Seſſ. 13. c. 3.

II. Modus autem hujusmodi mirabilis præſentiæ myſterium eſt, nobis hucuſque omnino ignotum, qui iſtud inveſtigare adniſi ſunt, in varias ſententias abiere. *Nimirum quidquid dixeris, ſemper plura dicenda reſtabunt.* At in hoc Theologo non magnopere labo-

laborandum, quando id neque ab ullo PP. est explicatum, neque ab ullo Concilio est discussum. Si quid dicendum sit, illum ceu verisimilius *per existentiam virtualem* explicamus.

§. VIII. Transsubstantiatio.

In Eucharistia Corpus & Sanguis existit per *Transsubstantiationem*, non per *impanationem*. Contra Lutheran.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Nisi substantia panis, & vini convertatur in corpus, & sanguinem Christi, tunc verba Christi Math. 26. *hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*, redderent hunc sensum: *hic panis est corpus meum, hoc vinum est sanguis meus.* Atqui falsum est panem esse corpus Christi, & vinum ejus sanguinem. Ergo etiam &c. Præterea pronomen *hoc* ad panem nequit referri, cum illud sit neutrius generis, & propositio Christi non significat poni *cum pane*, aut *in*, aut *sub pane*; quippe non ait Salvator *in hoc*, aut *cum hoc*, aut *sub hoc* pane est corpus meum. Sed *hoc est corpus meum*, ergo significat ita poni corpus, ut desinat substantia panis.

II. *Antiquitat. Trad.* Quam perhibent CC. & PP. inter alios Cyrill. Hyerosl. Catech. Mystag. 4. post recitata consecratoria Christi verba, *aquam*, inquit, *aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ sola voluntate: & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutaverit?* & post multa: *hoc sciendum, & pro certissimo habendum, panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, nisi gustus esse panem sentiat, sed esse corpus Christi: & vinum quod a nobis conspicitur, tametsi sensui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.* Ambrosf. L. 4. de Sacram. *ubi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi* &c. Hæc erat Ecclesiæ fides Sæcul. IV. pro III. testis adest Tertullianus L. 4. contra Marcion. c. 4. dicens, quod Christus dicendo: *hoc est corpus meum: corpus suum illis fecit.* Pro II. Justinus Apolog. 2. dicens, panem, qui ponitur in altari, *non esse amplius panem communem, sed corpus Christi per Transsubstantiationem panis in ipsum*, & addit ab Apostolis traditum, & acceptum fuisse. His addantur CC. & Liturgiæ, in quibus perinde, ac in hodierno Latino; & Græcorum canone Sacerdos orat, *ut Corpus Christi, & Sanguis fiat.*

CONSECT SCHOLAST. I. Liquet exinde, quam jejuni sint in Traditione Lutherani palam effutientes, Transsubstantiationis Dogma ab Innoc. III. in Concil. Lateran. IV. primo in Ecclesiam invectum fuisse, quia eo in Concilio *Transsubstantiationis* vox, antiquitus inaudita, primo cœpit usurpari. Nam quidquid sit de voce, res significata legitur certo apud PP. unde

Lutheranos vocem *Transsubstantiationis* nauseantes iisdem alloqui licet verbis, quibus Arianum vocem *Consubstantialitatis* carpentem alloquebantur: *Nominis ne offenderis novitate, an etiam rei ipsius veritate, quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? res enim antiqua novum nomen accepit, non vocabulo novæ rei veritas accessit.* Reperitur interim hoc vocabulum in vocibus æquivalentibus apud vetustimos PP. sub nomine videlicet *Conversionis, Transmutationis*, imo apud Theophilactum etiam *Transelementationis*.

II. Qualis autem actio sit Transsubstantiatio, an adductiva in sensu Scotistarum, an reproductiva in sensu Thomistarum? Si, quod est, fateri oporteat: eo spectare quæstiones hujusmodi jure dixeris, ut ex litibus serantur lites, finem habituræ nunquam. Si quid dicendum est aptius, controversiis hujusmodi dicimus Sacro-Sancta Mysteria ad Philosophiæ crisin exigi, ac fidei causam tribunali profano submitti. Satius sit Theologo cum Conc. Trid. asserere: *Transsubstantiationem esse actionem mirabilis, & singularis conversionis panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi.* Ne tamen hæc desidiosius a nobis quis dicta putet, importune forsan urgenti adductivam defendemus.

III. Remanere tandem panis, vinique species, & fide, & sensuum testimonio monstratur, quæ num juxta Peripateticorum, aut Antiperipateticorum sensum sint exponenda, problematice tueri haud detrectamus, illud interim dissimulare non possumus, facilius in RR. Philosophorum sententia esse intellectu, quomodo in Eucharistia sine panis, & vini substantia remaneant ejus species. Nempe ut istud Eximius Vir Cl. P. Fortunatus Brixia in Systém. suo Theologico-Physico explicat. *Christus actione sua affectiones externas panis* (idem est de vino) *supplet, ita ut in sensus nostros perinde fiant impressiones, ac fuerint ad præsentiam panis*; unde omnino necesse est consequi, ut appareat adesse substantia ejus, quamvis re ipsa absit.

§. IX. Minister & Subjectum Eucharistiæ.

Soli Sacerdotes possunt valide conficere Eucharistiam, hi proinde soli sunt Consecrationis Ministri. Contra Collyridian. Waldens. Lutheran.

DECLARATIO *Consens. Script. & Trad.* Solis Apostolis Christus potestatem consecrandi contulit, utpote ad quos solos verba illa direxit, *hoc facite in meam* &c. Id quod declarat continua Traditio, & utriusque Ecclesiæ Consens. neutra enim unquam hanc potestatem in alio cognovit; nec passa est Clericos Sacerdote inferiores id muneris sibi arrogare.

CONSECT. MORAL. I. Omnis porro, & solus homo baptizatus, idemque viator, est capax suscipiendæ Eucharistiæ. Eucharistia enim nominatim vocatur *viaticum*, id est viatorum cibus.

II.

II. Ad illam tamen cum fructu percipiendam ex parte animæ requiritur status gratiæ. *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.*

III. Ex parte corporis vero regulariter Jejunium naturale. Legem hanc ab Apostolo 1. ad Corinth. c. 11. latam constans Ecclesiæ usus approbavit, & confirmarunt Concilia.

§. X. Communionis sub utraque Quæstio Juris.

Nullo divino Præcepto tam Laici, quàm Clerici non conficientes tenentur ad Communionem sub utraque specie.

DECLARATIO *Consens. Script. & Rationis.* Si quod foret divinum præceptum id injungens, vel colligeretur ex præcepto Christi, vel ex natura ipsius Sacramenti: sed ex neutro capite id potest inferri. Nam

I. Si esset aliquod hujusmodi præceptum, id peteretur vel ex his verbis Joan. 6. *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vel ex his Math. 26. *bibite ex eo omnes.* Vel denique ex illis Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem.* Sed ex nullis eorum divinum hoc præceptum colligi potest. Non quidem ex *primo*, quia ex verbis in sua proprietate intellectis nil aliud intelligitur, quam quod homines teneantur ad manducandum Christi corpus, & bibendum ejus sanguinem, quod utique fit in sumptione unius speciei, siquidem sub qualibet sumitur corpus cum sanguine. Unde particula illa *et* sensum disjunctivum, non copulativum facit. Quasi dictum foret, *nisi manducaveritis, aut biberitis.* Sic Exod. 21. *qui percusserit patrem, & matrem, morte moriatur.* Et nunquid ipse Apostol. sensum hunc disjunctivum expressit, dum 1. Cor. 11. v. 27. docuit: *quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne reus erit corporis, & sanguinis Domini?* Porro quòd ea etiam fuerit Salvatoris mens, egregie colligit Trid. Sess. 21. c. 1. *nam*, inquit, *qui dixit*, nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: *dixit quoque:* si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: *Et qui dixit:* qui manducat meam carnem, & qui bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: *dixit etiam*: panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ... & qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Non colligitur etiam ex hoc *secundo*: *bibite ex hoc omnes*; verba enim hæc ad solos Apostolos, eorumque in Sacerdotio successores esse directa, tum ex ipso contextu evidens est, tum ex S. Marco colligitur, qui c. 14. præceptum Christi in hac ipsa cœna impletum narrat: *accepto calice, dedit eis, & biberunt ex eo omnes.* Non denique ex illis verbis: *hoc facite in meam commemorationem.* Nam apud Luc. 22. & apud Paulum 1. Cor. 11.

hæc verba absolute referuntur post consecratum panem, & ante consecrationem calicis; unde Apostolus ea repetens post consecratum calicem, non absolute, sed hypotetice dicta refert, his verbis: *hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem.* Unde liquet, usum calicis absolute non præcipi; sed quod bibens calicem, quotiescunque id faceret, in Christi memoriam faciat.

II. *Non ex natura ipsius Sacramenti.* Nam illa communio est sancta, & Sacramentaria, in qua totus, & integer Christus percipitur, tota Sacramenti ratio, & omnis gratiæ fructus continetur. Hæc omnia in unica tantum specie habentur. Ergo. Et quidem integrum Christum sub unaquaque specie contineri, ex iis, quæ de reali præsentia, & concomitantia demonstrantur, satis liquet. Ratio autem Sacramenti significat Christum præsentem, mortem, refectionem animæ spiritualem, & unionem fidelium inter se, & cum Christo. Porro hæc omnia tantum unica species significat, quia sub unica specie panis vi verborum est solum corpus Christi, sicut solus sanguis sub specie vini: quæ separatio exprimit Christi mortem, & passionem. Hinc consequitur, virtutem, & gratiam sub unica quoque specie contineri, gratia enim non ex Symbolis ipsis sed ex re contenta nempe Christo manat: equidem expressior habetur significatio mortis, & passionis Christi sub utraque specie, sicut triplex immersio in baptismo clarius exprimit Trinitatem. Sed quid inde? propterea ne trina immersio necessaria est ad Baptismi naturam? satis igitur, integrum Sacramentum in una tantum specie haberi, & omnem gratiæ fructum ad salutem necessarium inde percipi.

§. XI. Communionis sub utraque Quæstio Facti.

Quamquam inter publica Sacrorum solemnia prioribus Ecclesiæ sæculis ordinarie fidelibus dispensata fuerit utraque Eucharistiæ species; illis ipsis tamen temporibus extra Sacrificium, & extra Ecclesiam semper & ubique communio sub una specie in usu fuit, quin & in publicis synaxibus sub una tantum specie aliquando fuit data, & accepta.

DECLARATIO *Antiquit. & Universalit. Trad.* Et primæ quidem parti consentiunt omnes tam Catholici, quam Sectarii, nec eam negare potest, inquit Eminent. Card. Joannes Bona, *qui vel levissimarum Ecclesiasticarum rerum notitia* imbutus sit. Ad alteram transeundum est, quæ veterum PP. doctrina, & praxi, totiusque Christiani orbis consensu, atque inconcusso Catholicæ fidei firmamento stabilitur. Et quidem

I. Com-

I. Communio Privata sub una specie.

Communio hæc ad tria capita revocatur, ad communionem *infirmorum*, *infantium*, & ad *domesticam*, quæ in domibus, locisque privatis fiebat.

I. Communio ab omni retro ævo ad infirmos fuit perlata. Id quod ex Concil. Nicæn. I. Can. 13. aliisque Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ canonibus notissimum est. At in his casibus sub una tantum specie Sacramentum deferebatur: sic enim de Serapione ab Eusebio narratur, *quod ad illum Sacerdos panis consecrati particulam ministerio pueri miserit, simulque puero injunxerit, ut panem sanctum prius aqua madefaceret, quam ori ægrotantis Serapionis admoveret.* S. Ambrosium pariter Eucharistiam a S. Honorato Vercellensi Episcopo sumpsisse sub una specie narrat S. Paulinus in vita S. Ambros. Sed quid plura? ubi ipsum Calvinum confitentem habemus: *sic enim qui faciunt*, ait Lib. 4. Instit. c. 17. §. 39. *habent veteris Ecclesiæ exemplum; fateor: verum in re tanta, & in qua non sine periculo erratur, nihil tutius est, quam ipsam veritatem sequi.* En hominis insolentiam! quæ effronter Ecclesiam etiam antiquam erroris incusare non dubitavit.

II. Infantibus modo sub utraque, modo sub sola specie panis, modo sub sola specie vini Eucharistiam olim in utraque Ecclesia concessam fuisse, fidem faciunt antiquissima ritualia, quorum communis præscriptio est, *pueros, qui nondum noverunt comedere, vel bibere, communicandos esse cum digito intincto in sanguine Domini* &c. Huc pertinet historia Eruditis satis nota, quam refert S. Cyprian. Lib. de lapsis, puellam quamdam solo sanguine fuisse refectam.

III. Solitos etiam olim fuisse fideles Eucharistiam domi servare, in deserta, ac per itinera deferre, eamque cum urgeret aut periculum, aut excitaret pietas, propriis manibus sumere, nemo dubitat, nisi in historiis hospes. Hujus consuetudinis testes sunt Tertullianus Lib. de Orat. c. 14. & Lib. 2. ad uxor. S. Ambros. in Orat. de obitu Satyri c. 43. Auctor prati spirit. c. 49. & alii plures; atqui in his casibus Eucharistiam sub una panis specie fidelibus esse commissam præterquam quod ipsa ratio persuadeat, antiqui etiam Scriptores fatentur, præsertim Tertullianus cit. Lib. 2. ad uxor. c. 2. *non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes? & si sciverit panem, non illum esse credet, qui dicitur.*

II. Communio Publica sub una specie.

In Communione etiam publica aliquando unicam *speciem* porrectam fuisse convincitur non solum ex Missa *Præsanctificatorum*, qua Latini feria VI. Parasceves, Græci autem sæpius in quadragesima solam speciem panis

absumunt, sed etiam ex *Abstemiorum* communione, in quam rem S. Hieronimus Ep. 22. ad Eustoch. refert, suo tempore Sacras Virgines a vino abstinentes calici non communicasse, & ideo mulieres se vino ingurgitantes, *absit*, ajebant, *ut ego me a Christi sanguine abstineam.* Sed & alia huc faciunt historiarum exempla, e quibus duorum meminisse satis est. Unum suggerit S. Leo M. Serm 4. de quadrag. Manichæos ab Ecclesia pelli jubens, qui cum a vino velut fœtu diaboli abhorrent, ad communionem tamen una cum Catholicis irrepebant, corpusque Christi sub sola specie panis sumebant, quæ fictio sane locum non habuisset, nisi fuisset licitum sub una specie panis manducare. Alterum suppeditat Sozomenus L. 8. Hist. c. 5. & Nicephorus. Lib. 13. c. 7. de muliere Macedoniana, quæ Sancto Chrysostomo Sacra faciente, Catholicam se simulans, loco panis Eucharistici, quem clam ancillæ dedit, panem communem e domo allatum comedit, qui tamen statim in lapidem mutatus fuit. Porro nisi mulieri liberum fuisset sub una specie communicare, frustra fuisset hæc fraus mulieri, nam loco panis Eucharistici poterat illa quidem facile substituere panem communem, quomodo autem illa declinasset haustum calicis, qui ori admovebatur? sed quod maximum apud Orthodoxos hic momentum habet, est factum primorum Christianorum: *nam erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Act. 2. ubi per fractionem panis intelligitur perceptio Eucharistiæ, juxta illud Apostoli 1. ad Cor. 10. *panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* nulla autem ibi fit mentio calicis, ac subinde argumentum est Apostolos aliquando Eucharistiam sub sola specie panis distribuisse, quod circumstantiæ utique plurimum confirmant. Nam inter fideles tunc erant plures Nazaræi, ut patet Actor. 21. *sunt nobis viri quatuor habentes votum super se,* quibus Apostoli tunc permittebant observantiam legis: Nazaræis autem interdictum erat vinum, ut constat Num. 6. *a vino, & omni, quod inebriare potest, abstinebunt.*

CONSECT. POLEM. MORAL. I. Jure igitur optimo Laicis calicis usus ab Ecclesia fuit sublatus. Nam quod spectat *ad solam Ecclesiæ disciplinam,* si ab hæreticis temere propugnetur tanquam dogma fidei, omni jure ab Ecclesiæ Rectoribus pro temporum locorumque circumstantia inhibetur. Atqui. Ergo.

II. Sed & aliæ quam plurimæ causæ accesserunt: nimirum necessitas deferendi viaticum infirmis quacunque hora, abstemiorum multitudo, periculum effusionis in magna præsertim populorum frequentia, difficultas conservandi *speciem vini* absque eo, quod arescat, vini in multis provinciis raritas, ac penuria,

demum

demum ipsa desuetudo fidelium, qui circiter desinente duodecimo Sæculo, & decimo tertio ineunte communiter a specie vini cœperunt, nemine imperante, & instinctu proprio abstinere.

§. XII. Sacrificium Eucharisticum.

Eucharistia est verum, ac proprie tale Legis Evangelicæ Sacrificium, quod in Missa offertur.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script. Juravit Dominus*, inquit Propheta Psal. 109. de Christo futuro Sacerdote, *& non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. At vero Rex Salem proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait: benedictus Abraham.* Gen. 14. ergo. Neç reponant HH. panem, & vinum a Melchisedech non ad Sacrificium offerendum, sed in alimentum *Abrahæ*, & militum ejus e prælio redeuntium fuisse prolata. Nam non modo dicitur Melchisedech panem & vinum obtulisse, sed & causa additur prolationis: *erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Dein milites Abraham *redierant cum omni substantia Sodomorum, & Gomorrhæ, & universis, quæ ad cibum pertinent.* Cur igitur panis & vinum ad remedium inediæ a Rege Melchisedech præberetur? quid quod ipse Abraham Melchisedechi *decimas ex omnibus obtulerit.* Unde Hieron. in Ep. ad Marcel. *Recurre*, ait, *ad Genesim, & Melchisedech regem Salem hujus principem invenies civitatis, quæ jam tunc in typo Christi panem, & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Salvatoris sanguine, & corpore dedicavit.* Non minus dilucide Israeli Deus. C. 1. Malach. dicit. *Munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Ad quæ loca omnino conformiter loquitur Apostolus ad Hebr. 13. *habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Et supra ibid. c. 7. *Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

II. *Consens.* Antiquissimarum Liturgiarum S. Jacobi Apostoli, S. Clement. Rom. Pont. SS. Basilii, Gregorii, Cyrilli, Chrysostomi, & aliorum venerandis nominibus inscriptarum, in queis frequentissime legendum, Sacerdotem facere *oblationem incruentam, offerre Sacrificium incruentam*, &c. his adjungenda Concil. in fronte Disquis. cit. Nicænum I. Can. 18. Ephesin. I. in explicatione anathematismi 2. *Sanctum*, inquiens, *ac vivificum, incruentumque in Ecclesiis peragimus Sacrificium.* Nec minus suffragatur Chalcedonensis Gen. An. 450. contra *Eutychen*, & *Dioscorum* congregata,

III. *Universalit. PP.* Quorum inter centum reperias nullum, qui de Euchari-

charistico Sacrificio, vel non ex professo tractaverit, vel obiter saltem non fecerit, tanquam de re notissima mentionem. Legantur e Græcis Euseb. Cæsariens. Demonstrat. Evang. L. 1. c. 10. Cyrill. Hieros. Catech. 5. Mystag. Justinus M. in Apolog. 2. pro Christian. Greg. Nazianzen. orat. 1. 3. 4. & 19.: demum S. Irenæus Lib. 4. contra hæres. c. 32. Novi testamenti *novam docuit oblationem quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.* Ex PP. autem Latinis hoc dogma indubitanter professi sunt S. Greg. L. 4. Dialog. S. Fulgent. L. 2. ad Monimum c. 6. S. Leo M. Ep. 81. S. Augustinus de civit. L. 10. c. 6. S. Ambros. comment. in c. 1. Luc. Denique S. Cyprianus in Epist. ad Cæcil. *utique ille Sacerdos,* inquit, *vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur: Sacrificium verum, & plenum, tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.*

CONSECT. SCHOLAST. MORAL. I. Sacrificii naturam autem duo constituunt, res oblata, & actio Sacrificandi. Nobis rei oblatæ nomine venit ipse Christus, prout sub panis, vinique speciebus existit. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* 1. Cor. 5. & ad Ephes. is *solus tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo.*

II. Actio Sacrificandi est sola consecratio. *Quis fidelium,* inquit Greg. M. L. 4. Dial. c. 18. *dubitet, in ipsa immolationis hora Sacerdotis vocem cælos aperiri?* immolatio igitur est Sacerdotis vox, quæ ipsa est consecratio.

III. Probabilius autem videtur, hanc jure divino debere esse utriusque speciei, ut perfectum sit Sacrificium. Enim vero ex Trid. Sess. 22. c. 1. sicut Christus in ultima cœna corpus, & sanguinem suum obtulit, ita pariter eadem in Sacrificio Eucharistiæ offerenda præcepit: at is obtulit sub utraque specie: igitur præcepit etiam sub utraque specie offerenda.

IV. Cumque Eucharistia sit Sacrificium non tantum *Latreuticum,* sed simul etiam *Eucharisticum, impetratorium,* & *propitiatorium,* cur illud fieri non possit ad persolvendas Deo gratias pro beneficiis, quæ sanctis aliquando collata sunt? cur item offerri nequeat ad id, quod petimus, per merita, & intercessionem Sanctorum certius impetrandum? certe oblatione id genus nil derogatur gloriæ Dei; hocque sensu jam in primæva Ecclesia in honorem Sanctorum oblatas Missas docent veteres Liturgiæ & PP.

V. Ex eadem pariformiter ratione, cum pro vivis & defunctis offerre possimus preces, & pia opera, quibus grates referamus pro beneficiis in eos collatis, novasque illis impetremus, ac præsertim remissionem culparum, & pœnæ: utique potiori jure pro iis offerri potest Missæ Sacrificium, ceu opus peculiarem habens virtutem *Eucharisticam, impetratoriam, & propitiatoriam.*

DIS-

DISQUISITIO II.
DE SACRAMENTIS CONFIRMATIONIS ET EXTREMÆ UNCTIONIS.

UNIVERSALITAS, ANTIQUITAS, CONSENSIO CONCILIORUM.

DE CONFIRMATIONE.

Ex C. Eliber. c. 38. Baptizati a Laico adducendi ad Episcopum, ut manus imponat.

Ex C. Carthag. A. 390. c. 3. ut Chrisma, & Benedictio puellarum a Presbyteris non fiant.

Ex C. Parisiensi. A. 829. c. 33. convenit Episcopis, ut jejuni per manuum impositionem Spiritum S. tradant.

Ex C. Florent. Decret. *Exultate.* Confirmationis materia Chrisma ex oleo & balsamo, per Episcopum benedicto: forma *signo te*, Ordinarius Minister Episcopus: effectus gratia roboris. Cætera.

Ex Conc. Trid. Sess. 7. Confirmatio non est otiosa Cæremonia: injurii Spiritui S. non sunt, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt. Cætera.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Ex Canon. Nic. Arab. Vers. 69. diserte meminit olei infirmorum; distinguitur hoc ab oleo, & Chrismate, cujus in Baptismo usus est.

Ex Cabil. II. A. 813. c. 48. Infirmi oleo ab Episcopis benedicto per Presbyteros ungendi sunt.

Ex Conc. Florent. Decr. *Exultate.* Extremæ Unctionis materia est oleum olivæ ab Episcopo benedictum: forma, *per istam S. unctionem:* Minister Sacerdos: effectus sanitas mentis & corporis. Cætera.

Ex Mogunt. I. A. 847. c. 26. infirmi Confessione expiandi, & sacra Unctione animati Communione viatici reficiantur.

Ex C. Trid. Sess. 14. Extrema Unctio non est ritus tantum acceptus a PP. aut figmentum humanum: confert gratiam, remittit peccata, alleviat infirmos. Cætera.

§. XIII. Natura Confirmationis.

Confirmationem per notos, exploratosque effectus apte describunt esse *Sacramentum Novæ Legis, quo Baptizatis robur Spiritus S. tribuitur ad constanti & infracto animo tuendam, profitendamque fidem Christi.* Unde in vanum molitur Joannes Dallæus oppositum, ut

qui præsidium & Authoritatem aliunde, quam ex perversissimis *Albigensium*, & *Hussitarum* placitis mutuari nequit.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Act. 8. legitur: *tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et rursum c. 19. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Nimirum *oraverunt & imponebant manus* Apostoli; en signum sensibile! Fideles *accipiebant Spiritum S.*; en gratiam! Apostoli nil contra voluntatem, & mandatum Christi susceperunt: en igitur etiam Christi institutionem!

II. *Universalit. PP.* Auctor Constit. Apostol. L. 3. c. 16. his verbis Confirmationem adumbravit: *& postea Baptizatos Episcopus ungat Chrismate.* Irenæus alterius Sæculi Pater L. 1. c. 18. expositis Valentinianorum corruptis unctionibus subdit, præterea in Ecclesia quoque morem Baptizatos ungendi balsamo, quem Tertull. proximus illorum temporum scriptor diserte complexus est L. de Bapt. c. 7. in hæc verba: *exinde egressi de Lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina.* Et de resurrect. carnis c. 8. cum effectibus descripsit: *caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut & anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur.* Sæc. III. Origenes in c. 6. ad Rom. hoc Sacramentum attigit. Cyprianus autem Ep. 2. Sæc. IV. Cyrillus Hierosf. Catech. 3. Myst. naturam, modum, & effectum Confirmationis explicatissime exposuit. Optatus L. 7. contra Donat. Augustinus Tr. 6. in Joan. en primorum sæculorum PP.

III. *Cons. CC. & Ecclesiæ Orient. cum Occid.* Arausican. I. A. 441. can. 2. sub med. ita habet: *de eo autem, qui in Baptismate quacunque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebatur.* Per Sacerdotem hic intelligitur Episcopus ex usu quorundam Veterum. Huic addo Hispalense II. A. 619. Arelatense I. & II. Laodicenum, Arelatense. Orientalium porro Consensum ostendunt Philoxeni Ep. Hieropolitani, P. Jacobi Edesseni, & Joann. Patr. Antiocheni Liturgiæ a Renaudotio editæ.

CONSECT. SCHOL. MORAL. I. Quam certum autem, Confirmationem esse Sacramentum a Christo Domino immediate institutum, tam incertum hujus institutionis tempus. Si de conjectura dumtaxat probabili fiat quæstio, verisimilius est, id Christum præstitisse, dum post resurrectionem, antequam cœlum insccenderet, ipsis quadraginta diebus cum Apostolis est conversatus: in eo enim tempore reperimus & promissum Sacramenti effectum, & ejus Ministrorum authoritatem.

II. Cumque ex veteri Ecclesiæ disciplina constet, Sacramentum Confirma-

firmationis in Ecclesia ministratum esse quandoque tantum per manus impositionem, aliquando per solam unctionem Chrismate factam, ut plurimum vero simul per utramque, istud indicio est, ad valide perficiendum Confirmationis Sacramentum sufficientem materiam esse tam manuum impositionem, quam solam Chrismatis unctionem: tum etiam utramque simul; quin attentis PP. antiquiorum effatis verisimilius est, Christum in Confirmationis institutione materiam ejus disjunctive tantum determinasse.

III. Ipsa dein Confirmationis forma sufficiens est tam oratio, quæ sub manuum impositione recitatur, quam verba unctioni respondentia, tum etiam utraque simul. De forma enim non aliter, ac de ipsa materia disserendum, cum universim verba, quæ materiæ respondent, sint forma Sacramenti.

IV. Primus autem, & qui nunquam abesse solet, Confirmationis effectus est *Character*, quo Christo Regi auctoramur ac signamur. Attigit hunc Tertull. L. de præscript. ubi dæmonem æmulari Christi mysteria docens ait: *signat & ille in fronte milites suos.*

V. Alter qui prava suscipientis animi comparatione nonnunquam impediri potest, effectus est *gratia Spiritus. S.* Est vero gratia illa *augmenti, munitionis, roboris, perfectionis, ac consumationis.* Tertullianus *munitionem* vocavit, *qua caro signatur, ut anima muniatur,* S. Lucas c. 24. *virtutem: sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.*

§. XIV. Minister Confirmationis.

Fide certum est Confirmationis Ministrum ordinarium non alium esse ab Episcopo. Possunt nihilominus ex commissione Ecclesiæ in Occidente quoque confirmare Presbyteri, atque inde a Sæc. V. confirmarunt. In Oriente a fine IV. Sæc. multoque constantius idem Sacramentum non invita, vel etiam favente Ecclesia Neophytis ministrat simplex Sacerdos. Contra Photium, Sedis Constantinopolitanæ invasorem, aliosque Græcos Armeniosque.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Liquet ex Act. Apostolic. c. 8. solos Apostolos Neophytis Samaritanis manum imposuisse, atque cum duæ essent in illis prærogativæ, functos illos hoc munere esse, non quod Presbyteri, sed Episcopi essent, agnovere ex Græcis Patribus Chrisostomus, Hom. 18. in Act. Apost. Isidorus Pelusiota L. Epist. 450. & denique Oecumenius itidem in acta scribens. Chrysostomi verba sunt: *hoc erat in Apostolis singulare, unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.*

II. *Consens. Trad.* Concil. Eliberitanum c. 38. constituit, ut flagitante

necessitate baptizatus a Laico, si fuerit superstes, perducatur ad Episcopum, *ut per manus impositionem perfici possit.* Eadem PP. Hispalensium c. 7. est sententia: *non licet Presbyteris per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere.* Causam petis? *quia*, inquiunt PP. *Pontificatus apicem non habent.* Atque ut totum dicamus, non imponunt manus Presbyteri, qui Apostolorum successores non sunt, ad quos solos Spiritum Sanctum accepturi solemni more fideles in ipsis Ecclesiæ incunabulis producebantur. Ex Script. itaque, & Traditione jus illud ordinarium, ac præcipuum Episcoporum emanat. *Et si Scripturæ authoritas non subesset*, ut est apud Hieron. adv. Lucif. *totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

Consect. Moral. I. Nugatur itaque in encyclica Phocius, cum legislatorem, legemque, qua confirmatione arcentur Presbyteri, produci in publicum urget: est etiam vanissimum ejus argumentum, quod a jure consecrandi Eucharistiam ducit, ut cum hoc commune sit Presbytero, multoque nobilissimum, efficiat quoque in eodem jus confirmandi quippe minus excellens.

II. Nam etsi hoc argumenti genus, quo a majori ad minus progredimur, pondus suum habeat, cum intra lineam, ac rerum speciem eandem sistit argumentatio, nullius tamen est momenti, cum extra lineam migrat, atque ab una specie evagatur in alteram.

III. Sed & frustra in nos Calvinus Donatistarum invidiam contorquet, nihil nobis, & illis commune est: illi præter institutionem Christi, & ex ea profectam potestatem, in Ministro fidem, atque Sanctitatem requirebant: nos ab his donis vim Sacramentorum non repetimus, sed a sola Christi institutione, & inde derivata potestate Ministri. Ananiam Act. 9. quam certum est, manum Saulo imposuisse, tam est indubium non confirmatoriam, sed sanativam fuisse eam manus impositionem, ut a qua primum Saulus fonte salutari tinctus sit.

IV. Habet igitur Episcopus solus jus domesticum, & Ordinarium Confirmandi; idque fundatum procul dubio in ipso Ordinis apice: nec tamen propterea functio ipsa ab ordine Episcopali nexu necessario pendet, ita ut committi simplici Sacerdoti non possit. Sed verum dumtaxat est, functionem, quæ ex proprio & domestico jure peragatur, nec ab alterius concessione pendeat, soli propriam esse, & deberi Episcopo.

§. XV. Natura Extremæ Unctionis.

Perperam Calvinus Lib. 4. Instit. c. 19. extremam Unctionem *fictitium Sacramentum*, histrionicam hypocrisin proscindit, est enim illa verum, & proprie dictum N. L. Sacramentum. DE-

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Illis videlicet Jacobi verbis in ejusdem Epist. c. 5. *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Videlicet unctio olei, & oratio sunt ritus *sensibilis:* gratiæ promissio indicatur illo: *alleviabit eum Dominus* scilicet per gratiam: item aperte his verbis: *si in peccatis sit, remittentur ei:* neque enim peccati remissio fit sine gratia: Divina institutio inde demonstratur, quod sit Scripturæ Canonicæ Auctoritate præscripta.

II. *Universalit. PP.* Origenes postquam laboriosam, quæ in lacrymis fit, Pœnitentiam proprio charactere descripsit, subjungit Hom. 2. in Levit. *in quo impletur & illud, quod Apost. dicit, si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini.* S. Chrysost. Lib. 3. de Sacerdot. *non solum, cum nos regenerant Sacerdotes,* inquit, *sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent, infirmatur, inquit Apost. inter vos aliquis? accersat Presbyteros.* In eandem sententiam abeunt Innocentius I. Epist. 1. ad decentium c. 8. S. Cyrillus Alexandrin. L. 6. de orat. in Spir. & Verit. Gregorius M. in Sacrament.

III. *Consens. Utriusque Eccles.* Quam ex antiquissimis Græcorum Euchologiis & Ritualibus Latinorum fusius demonstrat Cl. Drouven. item ex antiquissimo usu Olei sancti in Ecclesia Græca a 7. Sacerdotibus tum benedicendi tum administrandi.

CONSECT. SCHOLAST. MOR. I. Quocunque autem tempore illud a Christo fuerit institutum, Jacobo Promulgationem hujus Sacramenti esse attribuendam, ipsa ejus verba in Ep. c. 5. evincunt: aperte enim illis docet usum extr. Unctionis, ejusdemque simul materiam, formam, Ministrum, Subjectum, & effectus designat.

II. Unde materia remota extremæ Unctionis est Oleum olivarum, idque saltem ex præcepto Ecclesiæ benedictum ab Episcopo, vel ex delegatione per Presbyterum. Materia autem proxima est Unctio; vel unica autem ad valorem Sacramenti sufficit, tametsi ex præcepto Ecclesiæ multiplex regulariter sit adhibenda.

III. Ipsa denique Extr. Unctionis forma, eaque Græcorum non minus, quam Latinorum valide ministratur verbis mere deprecativis, adeo ut eorum usus Ecclesiæ totius, quæ in re tanti momenti errare non potest, judicio approbetur.

IV. Effectus præterea Unctionis hujus sunt: infirmi quoad animam alleviatio; peccatorum, si quæ supersint, remissio; corporis sanitas, si animæ expediat. Deducuntur hæc omnia ex Apost. verbis accedente Trid. declaratione Sess. 14. de extr.

necessitate baptizatus a Laico, si fuerit superstes, perducatur ad Episcopum, *ut per manus impositionem perfici possit*. Eadem PP. Hispalensium c. 7. est sententia: *non licet Presbyteris per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum spiritum tradere*. Causam petis? *quia*, inquiunt PP. *Pontificatus apicem non habent*. Atque ut totum dicamus, non imponunt manus Presbyteri, qui Apostolorum successores non sunt, ad quos solos Spiritum Sanctum accepturi solemni more fideles in ipsis Ecclesiæ incunabulis producebantur. Ex Script. itaque, & Traditione jus illud ordinarium, ac præcipuum Episcoporum emanat. *Et si Scripturæ authoritas non subesset*, ut est apud Hieron. adv. Lucif. *totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret*.

Consect. Moral. I. Nugatur itaque in encyclica Phocius, cum legislatorem, legemque, qua confirmatione arceantur Presbyteri, produci in publicum urget: est etiam vanissimum ejus argumentum, quod a jure consecrandi Eucharistiam ducit, ut cum hoc commune sit Presbytero, multoque nobilissimum, efficiat quoque in eodem jus confirmandi quippe minus excellens.

II. Nam etsi hoc argumenti genus, quo a majori ad minus progredimur, pondus suum habeat, cum intra lineam, ac rerum speciem eandem sistit argumentatio, nullius tamen est momenti, cum extra lineam migrat, atque ab una specie evagatur in alteram.

III. Sed & frustra in nos Calvinus Donatistarum invidiam contorquet, nihil nobis, & illis commune est: illi præter institutionem Christi, & ex ea profectam potestatem, in Ministro fidem, atque Sanctitatem requirebant: nos ab his donis vim Sacramentorum non repetimus, sed a sola Christi institutione, & inde derivata potestate Ministri. Ananiam Act. 9. quam certum est, manum Saulo imposuisse, tam est indubium non confirmatoriam, sed sanativam fuisse eam manus impositionem, ut a qua primum Saulus fonte salutari tinctus sit.

IV. Habet igitur Episcopus solus jus domesticum, & Ordinarium Confirmandi; idque fundatum procul dubio in ipso Ordinis apice: nec tamen propterea functio ipsa ab ordine Episcopali nexu necessario pendet, ita ut committi simplici Sacerdoti non possit. Sed verum dumtaxat est, functionem, quæ ex proprio & domestico jure peragatur, nec ab alterius concessione pendeat, soli propriam esse, & deberi Episcopo.

§. XV. Natura Extremæ Unctionis.

Perperam Calvinus Lib. 4. Instit. c. 19. extremam Unctionem *fictitium Sacramentum*, histrionicam hypocrisin proscindit, est enim illa verum, & proprie dictum N. L. Sacramentum. DE-

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Illis videlicet Jacobi verbis in ejusdem Epist. c. 5. *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Videlicet unctio olei, & oratio sunt ritus *sensibilis:* gratiæ promissio indicatur illo: *alleviabit eum Dominus* scilicet per gratiam: item aperte his verbis: *si in peccatis sit, remittentur ei:* neque enim peccati remissio fit sine gratia: Divina institutio inde demonstratur, quod sit Scripturæ Canonicæ Auctoritate præscripta.

II. *Universalit. PP.* Origenes postquam laboriosam, quæ in lacrymis fit, Pœnitentiam proprio charactere descripsit, subjungit Hom. 2. in Levit. *in quo impletur & illud, quod Apost. dicit, si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini.* S. Chrysost. Lib. 3. de Sacerdot. *non solum, cum nos regenerant Sacerdotes*, inquit, *sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent, infirmatur, inquit Apost. inter vos aliquis? accersat Presbyteros.* In eandem sententiam abeunt Innocentius I. Epist. 1. ad decentium c. 8. S. Cyrillus Alexandrin. L. 6. de orat. in Spir. & Verit. Gregorius M. in Sacrament.

III. *Consens. Utriusque Eccles.* Quam ex antiquissimis Græcorum Euchologiis & Ritualibus Latinorum fusius demonstrat Cl. Drouven. item ex antiquissimo usu Olei sancti in Ecclesia Græca a 7. Sacerdotibus tum benedicendi tum administrandi.

CONSECT. SCHOLAST. MOR. I. Quocunque autem tempore illud a Christo fuerit institutum, Jacobo Promulgationem hujus Sacramenti esse attribuendam, ipsa ejus verba in Ep. c. 5. evincunt: aperte enim illis docet usum extr. Unctionis, ejusdemque simul materiam, formam, Ministrum, Subjectum, & effectus designat.

II. Unde materia remota extremæ Unctionis est Oleum olivarum, idque saltem ex præcepto Ecclesiæ benedictum ab Episcopo, vel ex delegatione per Presbyterum. Materia autem proxima est Unctio; vel unica autem ad valorem Sacramenti sufficit, tametsi ex præcepto Ecclesiæ multiplex regulariter sit adhibenda.

III. Ipsa denique Extr. Unctionis forma, eaque Græcorum non minus, quam Latinorum valide ministratur verbis mere deprecativis, adeo ut eorum usus Ecclesiæ totius, quæ in re tanti momenti errare non potest, judicio approbetur.

IV. Effectus præterea Unctionis hujus sunt: infirmi quoad animam alleviatio; peccatorum, si quæ supersint, remissio; corporis sanitas, si animæ expediat. Deducuntur hæc omnia ex Apost. verbis accedente Trid. declaratione Sess. 14. de extr.

necessitate baptizatus a Laico, si fuerit superstes, perducatur ad Episcopum, *ut per manus impositionem perfici possit.* Eadem PP. Hispalensium c. 7. est sententia: *non licet Presbyteris per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum spiritum tradere.* Causam petis? *quia*, inquiunt PP. *Pontificatus apicem non habent.* Atque ut totum dicamus, non imponunt manus Presbyteri, qui Apostolorum successores non sunt, ad quos solos Spiritum Sanctum accepturi solemni more fideles in ipsis Ecclesiæ incunabulis producebantur. Ex Script. itaque, & Traditione jus illud ordinarium, ac præcipuum Episcoporum emanat. *Et si Scripturæ authoritas non subesset*, ut est apud Hieron. adv. Lucif. *totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

Consect. Moral. I. Nugatur itaque in encyclica Phocius, cum legislatorem, legemque, qua confirmatione arcentur Presbyteri, produci in publicum urget: est etiam vanissimum ejus argumentum, quod a jure consecrandi Eucharistiam ducit, ut eum hoc commune sit Presbytero, multoque nobilissimum, efficiat quoque in eodem jus confirmandi quippe minus excellens.

II. Nam etsi hoc argumenti genus, quo a majori ad minus progredimur, pondus suum habeat, cum intra lineam, ac rerum speciem eandem sistit argumentatio, nullius tamen est momenti, cum extra lineam migrat, atque ab una specie evagatur in alteram.

III. Sed & frustra in nos Calvinus Donatistarum invidiam contorquet, nihil nobis, & illis commune est: illi præter institutionem Christi, & ex ea profectam potestatem, in Ministro fidem, atque Sanctitatem requirebant: nos ab his donis vim Sacramentorum non repetimus, sed a sola Christi institutione, & inde derivata potestate Ministri. Ananiam Act. 9. quam certum est, manum Saulo imposuisse, tam est indubium non confirmatoriam, sed sanativam fuisse eam manus impositionem, ut a qua primum Saulus fonte salutari tinctus sit.

IV. Habet igitur Episcopus solus jus domesticum, & Ordinarium Confirmandi; idque fundatum procul dubio in ipso Ordinis apice: nec tamen propterea functio ipsa ab ordine Episcopali nexu necessario pendet, ita ut committi simplici Sacerdoti non possit. Sed verum dumtaxat est, functionem, quæ ex proprio & domestico jure peragatur, nec ab alterius concessione pendeat, soli propriam esse, & deberi Episcopo.

§. XV. Natura Extremæ Unctionis.

Perperam Calvinus Lib. 4. Instit. c. 19. extremam Unctionem *fictitium Sacramentum*, histrionicam hypocrisin proscindit, est enim illa verum, & proprie dictum N. L. Sacramentum. DE-

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Illis videlicet Jacobi verbis in ejusdem Epist. c. 5. *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Videlicet unctio olei, & oratio sunt ritus *sensibilis:* gratiæ promissio indicatur illo: *alleviabit eum Dominus* scilicet per gratiam: item aperte his verbis: *si in peccatis sit, remittentur ei:* neque enim peccati remissio fit sine gratia: Divina institutio inde demonstratur, quod sit Scripturæ Canonicæ Auctoritate præscripta.

II. *Universalit. PP.* Origenes postquam laboriosam, quæ in lacrymis fit, Pœnitentiam proprio charactere descripsit, subjungit Hom. 2. in Levit. *in quo impletur & illud, quod Apost. dicit, si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini.* S. Chrysost. Lib. 3. de Sacerdot. *non solum, cum nos regenerant Sacerdotes,* inquit, *sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent, infirmatur, inquit Apost. inter vos aliquis? accersat Presbyteros.* In eandem sententiam abeunt Innocentius I. Epist. 1. ad decentium c. 8. S. Cyrillus Alexandrin. L. 6. de orat. in Spir. & Verit. Gregorius M. in Sacrament.

III. *Consens. Utriusque Eccles.* Quam ex antiquissimis Græcorum Euchologiis & Ritualibus Latinorum fusius demonstrat Cl. Drouven. item ex antiquissimo usu Olei sancti in Ecclesia Græca a 7. Sacerdotibus tum benedicendi tum administrandi.

CONSECT. SCHOLAST. MOR. I. Quocunque autem tempore illud a Christo fuerit institutum, Jacobo Promulgationem hujus Sacramenti esse attribuendam, ipsa ejus verba in Ep. c. 5. evincunt: aperte enim illis docet usum extr. Unctionis, ejusdemque simul materiam, formam, Ministrum, Subjectum, & effectus designat.

II. Unde materia remota extremæ Unctionis est Oleum olivarum, idque saltem ex præcepto Ecclesiæ benedictum ab Episcopo, vel ex delegatione per Presbyterum, Materia autem proxima est Unctio; vel unica autem ad valorem Sacramenti sufficit, tametsi ex præcepto Ecclesiæ multiplex regulariter sit adhibenda.

III. Ipsa denique Extr. Unctionis forma, eaque Græcorum non minus, quam Latinorum valide ministratur verbis mere deprecativis, adeo ut eorum usus Ecclesiæ totius, quæ in re tanti momenti errare non potest, judicio approbetur.

IV. Effectus præterea Unctionis hujus sunt: infirmi quoad animam alleviatio; peccatorum, si quæ supersint, remissio; corporis sanitas, si animæ expediat. Deducuntur hæc omnia ex Apost. verbis accedente Trid. declaratione Sess. 14. de extr.

necessitate baptizatus a Laico, si fuerit superstes, perducatur ad Episcopum, *ut per manus impositionem perfici possit.* Eadem PP. Hispalensium c. 7. est sententia: *non licet Presbyteris per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum spiritum tradere.* Causam petis? *quia,* inquiunt PP. *Pontificatus apicem non habent.* Atque ut totum dicamus, non imponunt manus Presbyteri, qui Apostolorum successores non sunt, ad quos solos Spiritum Sanctum accepturi solemni more fideles in ipsis Ecclesiæ incunabulis producebantur. Ex Script. itaque, & Traditione jus illud ordinarium, ac præcipuum Episcoporum emanat. *Et si Scripturæ authoritas non subesset,* ut est apud Hieron. adv. Lucif. *totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

CONSECT. MORAL. I. Nugatur itaque in encyclica Phocius, cum legislatorem, legemque, qua confirmatione arcentur Presbyteri, produci in publicum urget: est etiam vanissimum ejus argumentum, quod a jure consecrandi Eucharistiam ducit, ut eum hoc commune sit Presbytero, multoque nobilissimum, efficiat quoque in eodem jus confirmandi quippe minus excellens.

II. Nam etsi hoc argumenti genus, quo a majori ad minus progredimur, pondus suum habeat, cum intra lineam, ac rerum speciem eandem sistit argumentatio, nullius tamen est momenti, cum extra lineam migrat, atque ab una specie evagatur in alteram.

III. Sed & frustra in nos Calvinus Donatistarum invidiam contorquet, nihil nobis, & illis commune est: illi præter institutionem Christi, & ex ea profectam potestatem, in Ministro fidem, atque Sanctitatem requirebant: nos ab his donis vim Sacramentorum non repetimus, sed a sola Christi institutione, & inde derivata potestate Ministri. Ananiam Act. 9. quam certum est, manum Saulo imposuisse, tam est indubium non confirmatoriam, sed sanativam fuisse eam manus impositionem, ut a qua primum Saulus fonte salutari tinctus sit.

IV. Habet igitur Episcopus solus jus domesticum, & Ordinarium Confirmandi; idque fundatum procul dubio in ipso Ordinis apice: nec tamen propterea functio ipsa ab ordine Episcopali nexu necessario pendet, ita ut committi simplici Sacerdoti non possit. Sed verum dumtaxat est, functionem, quæ ex proprio & domestico jure peragatur, nec ab alterius concessione pendeat, soli propriam esse, & deberi Episcopo.

§. XV. Natura Extremæ Unctionis.

Perperam Calvinus Lib. 4. Instit. c. 19. extremam Unctionem *fictitium Sacramentum,* histrionicam hypocrisin proscindit, est enim illa verum, & proprie dictum N. L. Sacramentum.

DE-

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Illis videlicet Jacobi verbis in ejusdem Epist. c. 5. *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Videlicet unctio olei, & oratio sunt ritus *sensibilis*: gratiæ promissio indicatur illo: *alleviabit eum Dominus* scilicet per gratiam: item aperte his verbis: *si in peccatis sit, remittentur ei:* neque enim peccati remissio fit sine gratia: Divina institutio inde demonstratur, quod sit Scripturæ Canonicæ Auctoritate præscripta.

II. *Universalit. PP.* Origenes postquam laboriosam, quæ in lacrymis fit, Pœnitentiam proprio charactere descripsit, subjungit Hom. 2. in Levit. *in quo impletur & illud, quod Apost. dicit, si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini.* S. Chrysost. Lib. 3. de Sacerdot. *non solum, cum nos regenerant Sacerdotes,* inquit, *sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent, infirmatur, inquit Apost. inter vos aliquis? accersat Presbyteros.* In eandem sententiam abeunt Innocentius I. Epist. 1. ad decentium c. 8. S. Cyrillus Alexandrin. L. 6. de orat. in Spir. & Verit. Gregorius M. in Sacrament.

III. *Consens. Utriusque Eccles.* Quam ex antiquissimis Græcorum Euchologiis & Ritualibus Latinorum fusius demonstrat Cl. Drouven. item ex antiquissimo usu Olei sancti in Ecclesia Græca a 7. Sacerdotibus tum benedicendi tum administrandi.

CONSECT. SCHOLAST. MOR. I. Quocunque autem tempore illud a Christo fuerit institutum, Jacobo Promulgationem hujus Sacramenti esse attribuendam, ipsa ejus verba in Ep. c. 5. evincunt: aperte enim illis docet usum extr. Unctionis, ejusdemque simul materiam, formam, Ministrum, Subjectum, & effectus designat.

II. Unde materia remota extremæ Unctionis est Oleum olivarum, idque saltem ex præcepto Ecclesiæ benedictum ab Episcopo, vel ex delegatione per Presbyterum. Materia autem proxima est Unctio; vel unica autem ad valorem Sacramenti sufficit, tametsi ex præcepto Ecclesiæ multiplex regulariter sit adhibenda.

III. Ipsa denique Extr. Unctionis forma, eaque Græcorum non minus, quam Latinorum valide ministratur verbis mere deprecativis, adeo ut eorum usus Ecclesiæ totius, quæ in re tanti momenti errare non potest, judicio approbetur.

IV. Effectus præterea Unctionis hujus sunt: infirmi quoad animam alleviatio; peccatorum, si quæ supersint, remissio; corporis sanitas, si animæ expediat. Deducuntur hæc omnia ex Apost. verbis accedente Trid. declaratione Sess. 14. de extr. Unct.

necessitate baptizatus a Laico, si fuerit superstes, perducatur ad Episcopum, *ut per manus impositionem perfici possit.* Eadem PP. Hispalensium c. 7. est sententia: *non licet Presbyteris per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere.* Causam petis? *quia*, inquiunt PP. *Pontificatus apicem non habent.* Atque ut totum dicamus, non imponunt manus Presbyteri, qui Apostolorum successores non sunt, ad quos solos Spiritum Sanctum accepturi solemni more fideles in ipsis Ecclesiæ incunabulis producebantur. Ex Script. itaque, & Traditione jus illud ordinarium, ac præcipuum Episcoporum emanat. *Et si Scripturæ authoritas non subesset*, ut est apud Hieron. adv. Lucif. *totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

Consect. Moral. I. Nugatur itaque in encyclica Phocius, cum legislatorem, legemque, qua confirmatione arceantur Presbyteri, produci in publicum urget: est etiam vanissimum ejus argumentum, quod a jure consecrandi Eucharistiam ducit, ut eum hoc commune sit Presbytero, multoque nobilissimum, efficiat quoque in eodem jus confirmandi quippe minus excellens.

II. Nam etsi hoc argumenti genus, quo a majori ad minus progredimur, pondus suum habeat, cum intra lineam, ac rerum speciem eandem sistit argumentatio, nullius tamen est momenti, cum extra lineam migrat, atque ab una specie evagatur in alteram.

III. Sed & frustra in nos Calvinus Donatistarum invidiam contorquet, nihil nobis, & illis commune est: illi præter institutionem Christi, & ex ea profectam potestatem, in Ministro fidem, atque Sanctitatem requirebant: nos ab his donis vim Sacramentorum non repetimus, sed a sola Christi institutione, & inde derivata potestate Ministri. Ananiam Act. 9. quam certum est, manum Saulo imposuisse, tam est indubium non confirmatoriam, sed sanativam fuisse eam manus impositionem, ut a qua primum Saulus fonte salutari tinctus sit.

IV. Habet igitur Episcopus solus jus domesticum, & Ordinarium Confirmandi; idque fundatum procul dubio in ipso Ordinis apice: nec tamen propterea functio ipsa ab ordine Episcopali nexu necessario pendet, ita ut committi simplici Sacerdoti non possit. Sed verum dumtaxat est, functionem, quæ ex proprio & domestico jure peragatur, nec ab alterius concessione pendeat, soli propriam esse, & deberi Episcopo.

§. XV. Natura Extremæ Unctionis.

Perperam Calvinus Lib. 4. Instit. c. 19. extremam Unctionem *fictitium Sacramentum*, histrionicam hypocrisin proscindit, est enim illa verum, & proprie dictum N. L. Sacramentum. DE-

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Illis videlicet Jacobi verbis in ejusdem Epiſt. c. 5. *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Videlicet unctio olei, & oratio ſunt ritus *ſenſibilis:* gratiæ promiſſio indicatur illo: *alleviabit eum Dominus* ſcilicet per gratiam: item aperte his verbis: *ſi in peccatis ſit, remittentur ei:* neque enim peccati remiſſio fit ſine gratia: Divina inſtitutio inde demonſtratur, quod ſit Scripturæ Canonicæ Auctoritate præſcripta.

II. *Univerſalit. PP.* Origenes poſtquam laborioſam, quæ in lacrymis fit, Pœnitentiam proprio charactere deſcripſit, ſubjungit Hom. 2. in Levit. *in quo impletur & illud, quod Apoſt. dicit, ſi quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini.* S. Chryſoſt. Lib. 3. de Sacerdot. *non ſolum, cum nos regenerant Sacerdotes,* inquit, *ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent, infirmatur, inquit Apoſt. inter vos aliquis? accerſat Presbyteros.* In eandem ſententiam abeunt Innocentius I. Epiſt. 1. ad decentium c. 8. S. Cyrillus Alexandrin. L. 6. de orat. in Spir. & Verit. Gregorius M. in Sacrament.

III. *Conſenſ. Utriusque Eccleſ.* Quam ex antiquiſſimis Græcorum Euchologiis & Ritualibus Latinorum fuſius demonſtrat Cl. Drouven. item ex antiquiſſimo uſu Olei ſancti in Eccleſia Græca a 7. Sacerdotibus tum benedicendi tum adminiſtrandi.

CONSECT. SCHOLAST. MOR. I. Quocunque autem tempore illud a Chriſto fuerit inſtitutum, Jacobo Promulgationem hujus Sacramenti eſſe attribuendam, ipſa ejus verba in Ep. c. 5. evincunt: aperte enim illis docet uſum extr. Unctionis, ejusdemque ſimul materiam, formam, Miniſtrum, Subjectum, & effectus deſignat.

II. Unde materia remota extremæ Unctionis eſt Oleum olivarum, idque ſaltem ex præcepto Eccleſiæ benedictum ab Epiſcopo, vel ex delegatione per Presbyterum. Materia autem proxima eſt Unctio; vel unica autem ad valorem Sacramenti ſufficit, tametſi ex præcepto Eccleſiæ multiplex regulariter ſit adhibenda.

III. Ipſa denique Extr. Unctionis forma, eaque Græcorum non minus, quam Latinorum valide miniſtratur verbis mere deprecativis, adeo ut eorum uſus Eccleſiæ totius, quæ in re tanti momenti errare non poteſt, judicio approbetur.

IV. Effectus præterea Unctionis hujus ſunt: infirmi quoad animam alleviatio; peccatorum, ſi quæ ſuperſint, remiſſio; corporis ſanitas, ſi animæ expediat. Deducuntur hæc omnia ex Apoſt. verbis accedente Trid. declaratione Seſſ. 14. de extr.

Unct. cap. 2. quibus momentum addit S. Carol. Borromæus in Instruct. de extr. Unct. *Prima utilitas*, inquiens, *& effectus hujus Sacramenti est*, *quod peccati reliquias tollit*, *tanquam complementum Sacramenti Pœnitentiæ.*

§. XVI. Minister & Subjectum Extremæ Unctionis.

Solus Sacerdos est Minister Extremæ Unctionis; vel unus autem sufficit.

DECLARATIO I. Part. *Consens. Script. & Tradit. Inducat Presbyteros Ecclesiæ*: jubet Apostolus, quibus non ætate Seniores, sed Sacerdotes tantum intelligi certum est: tum ideo, quia nominatim dicitur: *Ecclesiæ Presbyteros*: tum quod huic Presbyterorum Ministerio attribuatur remissio peccatorum, quod utrumque solis Sacerdotibus est proprium. Hoc cumprimis sensu accipienda esse Jacobi verba, ex Origene, Chrysostomo, & Innocentio I. liquet: item perpetua Ecclesiæ praxis, ut claro in hanc rem testimonio sunt omnes LL. Rituales tam Orientalis, quam Occidentalis Ecclesiæ.

P. II. *Consens. Trad.* Innocentius I. in Ep. ad Decent. declarat, etiam Episcopum esse hujus Sacramenti ministrum: nec tamen exigit, ut is alios in partem Ministerii advocet; quod ipsum legere est in Concil. Braccar. Can. 51. & Pœnitentiali Theodori Ep. Cantuar. prostant etiam complura ab uno duntaxat Presbytero jam olim ministratæ Extr. Unctionis exempla; ut ex vita S. Eugendi, qui Sæc. VI. floruit: ex vita S. Mauræ, quam solus Prudentius Tricassin. extremum unxit.

CONSECT. SCHOL. MORAL. I. *Nec tamen refert*, ait Benedictus XIV. in constit. *etsi pastoralis*, super ritibus Græc. §. 5. N. 3. *utrum eadem Extr. Unctio per unum vel plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo, dummodo credant, & asserant illud Sacramentum servata debita materia & forma ab uno Presbytero valide & licite confici.*

II. Ubi, si quæras, quod est igitur in id genus casu reliquorum Sacerdotum munus? ℟. ex more apud Veteres ut plurimum recepto istud est; ut Ministrum Principalem qui ungit videlicet, & formam profert, adjuvent in ritu accidentali, ut est Psalmorum, & orationum recitatio, impositio manuum, abstersio olei &c. fatemur interim apud Veteres hac in re non unam fuisse disciplinam.

III. Soli autem infirmi sunt capaces suscipiendi Extr. Unctionis Sacramenti. *Infirmatur quis in vobis? inducat* &c. *& oratio fidei salvabit infirmum.* Unde & a PP. *Sacramentum infirmorum* communiter vocatur.

DIS-

DISQUISITIO III.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

UNIVERSALITAS, ANTIQUITAS, CONSENSIO CONCILIORUM.

Ex C. Nicæn. I. Can. 9. Presbyteri contra canones manuum impositionem assecuti rejiciuntur; Ordinationem proinde Presbyteri vocat manuum impositionem.

Ex C. Chalcedonens. A. 451. Can. 1. significat, Presbyterum ordinari per manuum impositionem. Idem Can. 20. prohibens Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum ordinari pro pecunia, causam reddit: *quia gratiam Dei censentur illi vendere.*

Ex C. Nicæn. II. A. 787. Can. 1. confirmat canones priorum Conciliorum.

Ex C. Rotomag. A. 174. c. 4. Ne Ordines ab Acolyto usque ad Sacerdotium una die, vel uno tempore dentur.

Ex C. Florent. Def. *Exultate.* Ordinis materia est, quod traditur, forma: *accipe potestatem* &c. Minister Ordinarius, Episcopus; effectus, augmentum gratiæ. Cætera.

Ex C. Trid. Sess. 23. In Novo Testamento datur Sacerdotium visibile, & externum, & potestas consecrandi. Præter Sacerdotium sunt alii Ordines Majores & Minores. Per Ordinationem datur Spiritus S. & imprimitur Character. Cætera.

§. XVII. Natura Ordinis.

Ordinatio, qua Sacri Ministri initiantur, est verum propriumque Legis Evangelicæ Sacramentum.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Act. 13. v. 3. de Ordinatione Pauli & Barnabæ dicitur: *tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Paulus monet Timoth. in 1. ad eum Ep. c. 4. *noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et rursum in 2. ad eund. Ep. c. 1. *Admoneo ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum.* His jam vero locis agi de ritu, quo Paulus, Barnabas & Timotheus in Ministros Ecclesiæ ordinati sunt, indubium est. quid autem ritui huic ad rationem veri Sacramenti desit? *An non oratio & manuum impositio* sunt signum externum? an non huic signo annexa est gratia, ac denique signum hoc caruit institutione & mandato Christi? quando certum est Apostolos, eorumque successores Christi gratiam non potuisse conferre & potestatem Ministerii.

II. *Uni-*

II. *Universalit. PP.* Nazianzenus Oratione in Bapt. Christi ait, *virtute Consecrationis Sacerdotes non tantum officio, ac munere, verum etiam interiori charactere atque Spiritus S. Unctione a Laicis secerni.* Augustinus nomen etiam Hæreticis venerandum tam expresse sacrarum Ordinationum Sacramentum literis commendavit, ut nihil possit desiderari luculentius. Confutans Ep. Parmeniani Lib. 2. c. 13. n. 28. asserit, tam Baptismum, quam Ordinem in Hæretico, & Apostata manere, *utrumque enim*, inquit, *Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud, cum baptizatur, istud, cum ordinatur; ideoque in Catholico utrumque non licet iterari;* quod si fieret, addit, maximam Sacramento injuriam illatam iri. Consentiunt Augustino Africani omnes Episcopi in literis ad Marcellin. ab eodem Augustino productis in Lib. de gest. cum Emerito Donatist. n. 5. Leo M. Ep. 81. ad Dioscor. Alexandr. jejunium esse Ordinationi præmittendum contendens, pro causa reddit: *ut intelligamus, quanta & dantium & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ Benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* Alios in rem præsentem PP. laudat Bellarminus L. de Sacr. Ord. c. 3.

III. *Consens. Eccles. utriusque.* Permulta Concil. Simoniacas *Ordinationes* tanquam illicitas condemnarunt, quod in his pretio darentur Sacramenta, & venalia instrumenta gratiarum. Ita Synod. Chalced. cit. similia habentur in Concil. Braccar. III. celebrato An. 1572. sub Suevorum Rege Mirone, nec non in Synodis Romæ, Ticini, Rhemis, & Moguntiæ habitis a S. Leone IX. de Græcis dubitare non sinunt Vulgata Euchologia, & Confessiones Emanuel. Calecæ, Georgii Proto-Syncelli, Simeonis Thessalonicensis, quæ omnes septem Sacramenta inconcusse profitentur.

Consect. Schol. Moral. I. Quemadmodum autem ratio Sacramenti Presbyteratui quam propriissime convenit, ita pariter certum est, Episcopatum esse verum Ordinis Sacramentum, idque a Presbyteratu diversum. *Quis dat*, inquit S. Ambros. L. de dignit. Sacerd. c. 5. *Episcopalem gratiam? Deus; sed tamen per hominem dat Deus; homo imponit manus, Deus largitur gratiam.*

II. Ordinationem Diaconi esse Sacramentum, etiam certum est, non perinde de Subdiaconatu, multo autem amplius controversum de quatuor Minoribus. Nulla nimirum eorum in S. literis fit mentio, traditio autem, quantum ad rationem Sacramenti attinet, est admodum obscura.

III. Utut interim ista se habeant, si in re controversa Florent. & Trid. consulamus, ad mentem eorum ceu verisimilius existimandum est, tam Subdiaconatum, quam Minores Ordines esse Sacramenta. Haud equidem diffitemur, utriusque Concilii verba sensu etiam restricto exponi posse, ut faciunt Adversarii; verum, dum certius aliquod hujus restrictionis fundamentum proferant, malumus

mus

mus nos planum & apertum sequi verborum sensum.

IV. Cum vero fide certum sit, Sacerdotium esse verum Ordinis Sacramentum, hujus solius materiam & formam expendere, constitutum habemus. Ea autem quæstio adeo est implexa, ut satisfacere videatur Theologus, si vel tale quid proferat, quod ceteris verisimilius videatur. Nempe, licet constet Ordinis Sacerdotalis materiam & formam definiri certo aliquo sensibili signo: at quod illud sit potissimum? nihil Ecclesia per tot scholarum lites pronuntiandum censuit.

V. Itaque dum universim nihil queat esse Sacramenti materia & forma, quod Christum non habeat Auctorem, institutionem disjunctive ab illo factam tuemur, ita videlicet: ut vel sola manus impositio cum Oratione sufficiat, vel cum hac simul instrumentorum porrectio, eique adjuncta verba pro materia & forma completa adhiberi possint.

VI. Sacramentum Ordinis ita collatum operatur tam gratiæ quam Characteris Sacramentalis effectum. Et gratia quidem sanctificans id peculiare habet, tum quod quandam in genere gratiæ plenitudinem habeat, eam videlicet, qua cumprimis Ministri Ecclesiæ opus habent ad sancte obeunda Ordinum Ministeria: cum quod in ea speciale jus fundetur ad gratias actuales, quibus opportuno tempore ordinatus juvetur ad rite implenda sui Ordinis munia. Characteri vero Ordinis stabilis potestas Ministerii ita adnexa est, ut Ministri Ecclesiæ a reliquo fidelium cœtu nunquam non discernantur.

§. XVIII. Minister Ordinis.

Solus Episcopus ordinarius est Sacræ Ordinationis Minister.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Constat Act. 14. Paulum & Barnabam Apostolos, proinde Episcopos, per singulas Ecclesias fecisse Ordinationes Presbyterorum: & ad Tim. 1. Timotheum ab Apostolo fuisse ordinatum in Episcopum. Atqui potestatem, quam Apostoli a Christo habuerant, deinceps nonnisi Episcopis a se constitutis communicarunt: *manus cito nemini imposueris*, ait Paulus ad Timotheum, *neque communicaveris peccatis alienis*; & ad Titum c. 1. v. 5. *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.*

II. *Consens. Trad.* Quæ multis argumentis evincitur. 1mo Ex omnium ætatum, & Ecclesiarum attestatis, quæ sacræ Ordinationis officium solis Episcopis commendant. 2do Ex eo, quod in Hæreticorum & Schismaticorum numero semper habiti fuerint, qui doctrinam contrariam tenuerunt. 3tio Ex irritatione Ordinationum ab aliis, quam Episcopis factarum. 4to Demum ex selectis SS. PP. Effatis. Ubi se pronum of-

fert testimonium Canonum Apostolicorum præcipientium, ut *Episcopus a duobus aut tribus Episcopis, Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus & reliqui Clerici*. Et S. Hieronymi decantatum effatum est Epist. 85. ad Evag. *quid facit excepta Ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?*

Consect. Scholast. Mor. I. Unde simplex Sacerdos ne quidem extraordinarius Minister Episcopatus & Sacerdotii esse potest. Certe (quod in hanc rem plurimum momenti habet) nulli unquam ejusmodi potestas concessa legitur, licet sæpe gravissima fuerit Ecclesiæ necessitas primis præsertim temporibus. Quis vero credat, tot sæculorum tractu otiosam mansuram fuisse hanc delegandi potestatem, si eam Christus arbitrio Ecclesiæ reliquisset?

II. Minorum tamen Ordinum ordinationes licite a simplice Sacerdote perfici posse ex Privilegiis per Pontifices, & Concilia concessis, ac sæpe confirmatis eruitur. Quo & facit praxis vel hodie recepta; nam Cardinales Presbyteri in suis Ecclesiis, & Abbates aliqui suis Regularibus minores Ordines re ipsa conferunt.

III. De Diaconatu, & Subdiaconatu tamdiu certi quid statuere abstinemus, dum certiora potestatis hujus delegatæ proferantur testimonia: id vero si præstiterit aliquis, nihil morabimur perinde de Subdiaconatu & Diaconatu, ac de minoribus Ordinibus pronuntiare.

§. XIX. Eminentia Episcopatus.

A primæva Ecclesiæ institutione, atque ab Apostolorum ævo Episcopi Ordine ac Dignitate præfuerunt Presbyteris.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Illi sunt jure Divino, dignitate & potestate simplicibus Presbyteris superiores, *quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei*, qui sunt divinitus *Presbyterorum Judices constituti*; quibus denique *est officium demandatum, Sacerdotium, aliaque Ministeria Sacra per manuum impositionem, & invocationem Spiritus Sancti in posteros transmittendi*: at tria hæc Scriptura Episcopis attribuit. Ergo.

II. *Consens. Trad.* Ab ipso Ecclesiæ Exordio fuere privatarum Ecclesiarum Præfecti, seu Episcopi constituti, quibus Cleri supremum regimen competebat. Sic Jacobus Hierosolymitanam, & Marcus Alexandrinam Ecclesiam regebat & in Apoc. c. 2. septem Angeli nominantur, quos Episcopos consensu unanimi Doctores interpretantur. *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe . . , Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe.* &c. Idem manifesto constat ex veterum Ecclesiarum Originum Historia, quam texit Eusebius Lib. 3. nam primo sermonem de Ecclesiæ Hierosolymitanæ Exordio habens scribit c. 11. post *Martyrium*

Jaco-

Jacobi omnes discipulos convenisse, & uno consensu Simeonem, filium Cleophe illius, cujus in Evangelio fit mentio, Episcopali sede dignum judicasse De Antiochena autem Ecclesia hæc refert. c. 22. *apud Antiocbam defuncto Evadio, qui primus ejus loci constitutus erat Episcopus, secundus tum maxime florebat Ignatius*, de quo tum Chrysost. Orat. 42. tum Theodoretus Dial. 1. asserunt, ab ipsis Apostolis in Episcopum designatum fuisse, & manuum impositione consecratum. Hoc ipsum innumera facta, & inter illa nominatim Historia Aerii adstruit, quem Græci pariter, ac Latini diris velut Hæreticum devoverunt, eoquod Episcopos Presbyteris æquales in omnibus effutiret.

III. *Universalit. PP.* S. Ignatius Martyr. Apostolicæ ætati coævus in Epist. ad Magnesianos *hortor vos*, inquit, *in Dei concordia omnia agere Episcopo præsidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apostolici.* Similia Clemens Alexand. Lib. 3. Pedagogi c. 12. Origenes, quem fuisse Presbyterum omnes norunt, Hom. 2. in Jerem. scribit. Augustinus de Hær. num. 53. Aerium inter Hæreticos recenset, quod inter alia nefaria dogmata doceret, *Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere secerni.* Quid ex Hieronymo, quo calumniose Presbyteriani abutuntur, Luculentius exspectari potest? tribuit ille Episcopis potestatem *constituendi Presbyteros:* tribuit *Ordinis discrepantiam:* tribuit *successionem Apostolorum*: tribuit Aronis supra Levitas *excellentiam:* tribuit ampliorem in Ecclesia *Dignitatem*, quam habeat Rex in Republica: tribuit præcipuam, & omni obsequio dignissimam *Majestatem.* Præsertim in Epitaph. Nepotiani, sive Epist. 35. asserens: *ut Regi, sic Episcopo, imo minus Regi, quam Episcopo* obediendum esse, idemque etiam confirmavit exemplo, dum cum S. Augustino disputans, *deinde*, inquit, *illud conabor, ne Episcopo Communionis meæ videar procaciter respondere.*

Consect. Dogmat. Hist. I. Episcopi igitur non tantum institutione Ecclesiastica, ut contendit Blondellus, Verum etiam *jure Divino* Presbyteris sunt superiores. Enim vero Hierarchiam, cujus ille principem locum tenet, *Divina ordinatione* constitutam, definiunt Concilia, docent PP. & ratio ipsa demonstrat. Præterea inverisimile est, arbitratu suo, non juxta Magistri præcepta Apostolos Ecclesias condidisse, ac formasse.

II. Denique Episcopos esse successores Apostolorum, & hoc esse in Ecclesia Christi, quod in lege Veteri Aron; atque Apostolos a Domino præelectos, singulari potestate donatos, & in universum terrarum orbem missos ad annunciandum Christi nomen, & fideles gignendos, Evangelica tradit Historia, confirmantque traditiones Majorum.

III. Hic autem optimus est Hierarchiæ Ecclesiasticæ instituendæ ordo, principio leges ferre, & populum tra-

here ad religionem; tum hujus mysteria, ritusque ordinare; postea eos seligere, qui Liturgiæ dent operam, inter istos denique gradus, Ministeria, Ordinesque dispensare: Analogia petitur ex ordinata Reipublicæ cujuslibet constitutione. Dein sicut in Veteri Testamento ex Levitis Sacerdotes, ex Sacerdotibus Pontifices facti sunt, ita postmodum Christus ex credentibus Discipulos, ex Discipulis autem Apostolos constituit, ut ita ordinum progressione ex Administris Presbyteri, ex Presbyteris Episcopi fuerint ordinati.

IV. Neque exinde Presbyteros inter ac Episcopos *Ordinis* æqualitas infertur. Quod ab initio ad causas dissensionum tollendas, & facilius animos credentium devinciendos, Consilio & Conventu plurimum gravissimæ res agerentur, aut subinde Presbyteri cura Ecclesiæ fuerit commissa. Hoc enim Oeconomiæ causa, non defectu auctoritatis efficiebatur. Siquidem approbante multitudine Act. 1. Mathias sorte ad Apostolatum evectus est, septemque Diaconi Act. 6. sunt electi, cum tamen exorta delegalibus controversia Act. 15. definita fuerit Apostolorum Seniorumque concilio, populari turba seclusa.

V. Equidem Presbyteri iisdem vocabulis, ac Episcopi interdum in actibus, & in Epistolis Apostolicis designantur. Quia nimirum, quando nondum multiplicatis fidelibus, nullum schismatis periculum aderat, ipsi quoque gubernarunt Ecclesiam; *non pari tamen auctoritate*, sed *Communi Consilio*.

DISQUISITIO IV.
DE
SACRAMENTO MATRIMONII.
UNIVERSALITAS, ANTIQUITAS, CONSENSIO CONCILIORUM.

Ex C. Gangrens. Sylvestro I. P. c. 1. damnantur qui Nuptias damnant.

Ex C. Carthag. IV. c. 13. de benedictione Sponsi & Sponsæ.

Ex C. Rom. An. 743. c. 15. prohibita declarantur Matrimonia in quarto consanguinitatis gradu.

Ex C. Londoniensi An. 1175. c. 18. ne fiant clandestina Matrimonia.

Ex C. Florent. Def. *Exultate.* causa efficiens Matrimonii, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus; triplex bonum Matrimonii: *Proles*, *Fides*, *Indivisibilitas.* Ex causa fornicationis thori separatio licet, non tamen vinculi dissolutio. Cætera.

Ex C. Trid. Sess. 24. Matrimonium est vere & proprie unum ex septem L. E. Sacramentis. Non licet Christianis plures simul habere uxores

uxores. Non tamen consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, possunt impedire Matrimonii contrahendum, & dirimere contractum, sed potest Ecclesia in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant. Cætera.

§. XX. Natura Sacramenti Matrimonii.

Matrimonium est vere & proprie unum ex Septem L. E. Sacramentis a Christo Domino institutum, non vero ab hominibus in Ecclesia inventum.

DECLARATIO *Consens. Script.* Epist. 5. Apostolus *viri diligite*, inquit, *uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam ... hoc relinquet homo Patrem & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Agit hic Apostolus de Matrimonio ut contractu, qui *signo externo* exprimitur. Illa verba: *Sacramentum Magnum* indicant Matrimonium esse Mysterium significans Christi cum Ecclesia unionem, adeoque signum *rei sacræ*, ut docent Chrysost. Hom. 56. in Gen. Gregor. Naz. Augustinus & alii PP. unde autem Matrimonium habet significationem hanc mysticam, nisi ex institutione Christi? fatentibus cum Vasquezio, & Estio DD. Catholicis, ex sola Scriptura hæc veritas nequit ita demonstrari, ut Novatoribus nunquam desit effugium. Unde quo ista certius contra Sectarios conficiatur, adjicienda sunt alia argumenta.

II. *Universalit. Trad.* Matrimonium Christianorum ritu celebratum esse verum, propriumque Sacramentum luculentissima testimonia attestantur. Tertullian. Lib. 2. ad uxorem, *unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem hujus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet* ... quibus verbis innuitur spiritalis gratia, qua perficitur, atque benedictio, & vinculum quoddam Sanctitatis, per quod a connubiis infidelium distinguitur. Innocentius I. *Statuimus*, ait Epist. 9. *fide Catholica suffragante illud esse Conjugium, quod primitus erat Divina gratia fundatum; conventumque secundæ mulieris priore superstite, nec divortio ejecta, nullo pacto esse legitimum.* Quid vero aliud est Matrimonium Divina gratia fundatum, nisi signum gratiæ? Ambros. Lib. 1. de Abraham. c. 7. de eo qui alteri nuptam ducit, *qui sic egerit*, inquit, *peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam solvit, & ideo, quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium.* Demum Cyrill. Alexand. Lib. 2. in Joann. c. 22. docet *Christum sanctificasse Conjugium, & gratiam nuptiis præparasse.* Accedunt Concilia Lateranense IV. Carthagin. IV. c. 13. statuens *Sponsum & Spon-*

sam benedicendos esse a Sacerdote. Constantin. Flor. Trid.

III. *Antiquit. Præscript.* Longe antequam Lutherus & Calvinus rebellarent, pervulgatum erat Matrimonii Sacramentum, & quidem perpetuam utriusque Ecclesiæ consensionem vel illud comprobat, quod Græci nunquam exprobraverint Latinis, admitti ab eis Matrimonii Sacramentum, nec Latini unquam Græcis objecerint, quod male sentirent de eodem Sacramento. Dicant jam Sectarii, quando & quis doctrinam hanc in Ecclesiam utramque invexerit? explicent, qua via, quibus machinis, aut præstigiis subversio illa tam generalis, in omnibus Catholicorum, Schismaticorum, & Hæreticorum sectis, nemine reclamante contigerit? edisserant, quo pacto potuit superstitio illa persuaderi, ut crederent Matrimonium esse Sacramentum, quod ante non credebant? Atqui ad hæc nil habent Adversarii, quod reponant. Igitur illius institutio juxta Tertulliani & Augustini regulam referenda est ad Traditionem Apostolicam, atque adeo ad Christum ipsum, unde cum Tertulliano Lib. de præscript. c. 28. concludendum: *ecquid verisimile est, ut tot ac tanta in unam fidem erraverint? variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos errasse, qui tradiderunt.*

Consect. Schol. Moral. I. Quod vero ad institutionis hujus tempus attinet, fatemur denuo ex S. Literis nil certi statui posse. Si porro PP. attendamus sensa, existimasse videntur, tum factum esse, cum Christus in Cana Galilææ interfuit Nuptiis Joan. 2. nimirum eorum aliqui docent, Christum in Cana Galilææ *benedixisse Nuptiis:* ita PP. Ephesini in Concilio, & Epiphanius Hæres. 67. alii addunt, eo tempore Christi benedictione etiam sanctificatum fuisse Conjugium, eidem præparatam gratiam, castitatem conjugalem confirmatam.

II. Ubi autem de materia & forma hujus Sacramenti quæritur, existimamus sensui Concilii Florentini, & Tridentini conformius esse, si materia Sacramenti Matrimonii in legitimo contrahentium consensu interno, forma vero in verbis vel aliis signis hunc consensum exprimentibus statuatur. Diserte sane Florent. in Decr. pro Arm. §. de Matrim. ait: *Septimum est Sacramentum Matrimonii ... causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.*

III. Matrimonium N. L. Sacramentum causare gratiam Sanctificantem non eam quidem primam, at secundam jam in confesso est. Quod gratia hæc peculiare habet, est jus ei adnexum ad illas nominatim opportuno tempore Conferendas gratias actuales, quibus adjuventur ad implendas obligationes statui conjugali proprias. *Quare docendum est,* inquit, Trid. cit. *hujus Sacramenti gratia effici, ut vir & uxor*

uxor mutuæ charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat ... in omnibus sit honorabile Conjugium & Thorus immaculatus.

IV. Hoc quemadmodum errorem Nicolaitarum, Tatianorum, & Manichæorum aliorumque Matrimonia damnantium aperte confutant, ita tamen minime evincunt absolutam Matrimonii necessitatem, qua sanctæ reformationis, si Superis placet. Initia Lutherus & Calvinus est complexus, nimirum illos solicitos habuit conservatio generis humani. At cura hac non generis humani, sed libidinis speciosum patrocinium quærebant. Hoc unicum habeant a nobis responsum, quod olim in eadem causa Hieronymus Joviniano dedit: *noli*, ajebat, *noli metuere ne omnes virgines fiant, difficilis est virginitas, & ideo rara, quia difficilis.*

§. XXI. Minister.

Verisimilius est Ministros Sacramenti Matrimonii esse ipsos Contrahentes; non autem Parochum.

DECLARATIO I. *Consens. Florent. & Trid.* Juxta illud causa constitutive efficiens Sacramenti Matrimonii, ac proinde ejus materia & forma est consensus mutuus regulariter per verba de præsenti expressus. Igitur juxta idem Concilium is est hujus Sacramenti Minister, qui ponit dictum consensum: atqui hunc ponunt Contrahentes, non Parochus. Ergo. Hoc Sess. 24. in Doctrin. de Sacram. censet non aliud discrimen inter Matrimonium Veteris, & Novæ Legis intercedere, quam quod hoc Veteribus connubiis præstet virtute conferendæ gratiæ, at ante legem Evangelicam indubium est, Ministrum ejus fuisse Contrahentes, consensum autem ab illis per signa expressum totam Matrimonii substantiam constituisse. Dein cit. Sess. can. 1. generatim definit, *baptizatorum Matrimonium esse Verum L. E. Sacramentum.* Præterea ex Decret. de Reform. Matr. c. 1. Clandestina Matrimonia ante hoc ipsum Tridentinum celebrata sine Parocho, fuerunt Sacramenta, atque adeo Parochus ex mente ejusdem Tridentini non est Minister hujus Sacramenti.

II. *Antiquit. Ritualium, Pontificum, & Missal.* Ex quibus invicem collatis, hæc, aut his similia Sacerdotis verba: *ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris* &c. non esse formam Sacramenti quoad substantiam, proinde nec Sacerdotem esse ejus Ministrum, nisi quoad Solennitatem. Nimirum Minister est is, qui ponit id, quod Christus ad rationem Sacramenti evexit, istud autem non est aliud, quam Contractus Matrimonialis legitimus, qui solus perfecte significat conjunctionem

nem Christi cum Ecclesia, an non autem hunc soli Contrahentes ponunt, tacente etiam & nil proferente præsente Parocho?

CONSECT. SCHOLAST. MOR. I. Perspecta Matrimonii natura, facile est de ejus proprietatibus statuere. S. Augustinus tria Matrimonii bona numerat. *Fidem* scilicet, *Sacramentum*, & *prolem*. Ad fidem pertinet *unitas*. Ad Sacramentum *indivisibilitas*, ad prolem peculiares conjugum *obligationes*.

II. Unitati adversatur Polygamia simultanea, non autem successiva. Illa quidem, quod Math. 19. legatur, *propter hoc dimittet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* In quæ verba Innocentius III. c. 8. de divort. *non dixit tres vel plures, sed duo: nec dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori.* Hoc, quod 1. Cor. 7. dicatur: *quod si dormierit vis ejus, liberata est. Cui vult nubat, tantum in Domino.*

III. Indivisibilitas spectari potest vel quoad vinculum, vel quoad Thorum & habitationem tantum. Illa est juris Divini, tam positivi, quam naturalis, ita ut sine concessione Divina solvi nunquam potuerit. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Hæc minoris est rigoris, ut constat ex communi Ecclesiæ praxi, & pluribus cap. tit. de divortiis.

IV. Quod circa obligationes Conjugum controverti potest, est, num valeat Matrimonium sub conditione minus proprie tali, id est, sub modo servandi perpetuam castitatem contractum, præsertim si modus hic deducatur in pactum? negant multi, plures affirmant, quibuscum & nos sentimus, contendentes inter B. Virginem & S. Josephum, salva utriusque virginitate verum, ac proprie tale fuisse Matrimonium. Ac omnino integre consentientem habemus Augustinum, dum Lib. 1. de Nupt. & Concupisc. L. 11. ait: *quibus vero placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint* &c. *neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Joseph: noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus.*

§. XXII. Impedimenta Matrimonii.

Potuit olim Ecclesia, & potestas etiamnum constituere impedimenta Matrimonium dirimentia.

DECLARATIO I. *Universalit. Trad.* In ipso Ecclesiæ initio Apostolus propter disparitatem cultus Nuptias abrumpi sancivit: *si quis frater*, inquit

1. Cor.

1. Cor. 7. *uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; & si qua mulier fidelis virum habet infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum ... quod si infidelis discedat, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi* &c. quod autem ab Apostolo edita sit hæc Constitutio, præcedentia verba demonstrant, *ceteris*, inquit, *ego dico, non Dominus.* Idem ex Cultus disparitate impedimentum agnovit Tertullianus L. de Cor. Mil. c. 13. *Coronant nuptiæ sponsos, & ideo non nubimus Ethnicis, ne nos ad idololatriam usque seducant, a qua apud illos nuptiæ incipiunt.* Sæc. IV. Concil. Ancyran. Can. 11. impedimentum Raptus constituit: *desponsatas puellas, & ab aliis postea raptas, placuit iis reddi, quibus desponsatæ fuerant; etiamsi vim passæ sunt.* Eadem ætate S. Basilius Epist. 1. Canonic. ad Amphiloch. meminit impedimentorum *Ordinis, Voti, Raptus,* & *Affinitatis.* Laudatos PP. Græca & Latina Ecclesia subsecutis sæculis sunt secuti.

II. *Antiquit. Præscript.* Paulatim, Sectatores contendunt, Latina præcipue Ecclesia Tyranidem hanc exercuit, *proinde fieri non potuit, ut Principes contra novitatem non reclamarent.* At quinam sunt hi Principes? eorum nomina, Regna, aut Patriam assignent HH. Sæculo IX. *ajunt*, jus illud cœpit arrogare sibi Ecclesia, quo tempore prodierunt Epistolæ Decretales priorum temporum Pontificibus falso attributæ, spuriisque, & supposititiis rescriptis refertæ. At vero nec veri speciem hæc exceptio habet: tum quia Canones de Matrimoniis prohibendis, aut dirimendis non in falsis tantum Decretalibus, sed & in antiquis Conciliis, & indubitatis Pontificum maximorum Rescriptis leguntur: tum quod suppositiitiarum Decretalium falsitas illico Hinchmaro Rhemensi Archiepiscopo, aliisque Eruditis illorum temporum innotuerit, a quibus publice fuere rejectæ: atqui nec Hinchmarus, nec alii has spurias Decretales ideo damnarunt, quod contra antiquam Ecclesiæ Disciplinam darent Ecclesiæ potestatem impedimenta Matrimonii vel prohibentia, vel dirimentia opponendi, quod tamen iisdem validissimum Argumentum fuisset. Igitur &c.

III. *Consens. Ration. Theolog.* Ecclesia universim omnibus actibus, & officiis humanis certas honestatis, & justitiæ Regulas præscribere potest, solusne igitur nuptiarum Contractus ejus jurisdictioni sit subtractus? dein Matrimonium, quatenus ejus subsidio spiritualis ejus civitas crescit, in bonis Ecclesiæ continetur; igitur ut bonum hoc Sanctum, intactumque servetur, Ecclesiasticæ potestatis esse debet, a nuptiis, quidquid non est bonum, & honesti conveniens, amovere. Tandem Materiam Matrimonii, quæ est Contractus, sive mutua Viri ac Mulieris in nuptias obeundas Consensio, in Civili ac Naturali ordine humanis ac Civilibus Legibus subjectam volunt: ergo etiam in Ordine spirituali, tanquam Officium Religio-

ligionis per Leges Ecclesiæ dirigi debet. Unde angelice D. Angelicus in 4. Sent. dist. 40. q. 1. Art. 2. *Matrimonium non tantum est Sacramentum, sed etiam est in officium: & ideo magis subjacet Ordinationi Ministrorum Ecclesiæ, quam Baptismus, qui est Sacramentum tantum, quia sicut Contractus & officia humana determinantur Legibus humanis, ita contractus & officia spiritualia Lege Ecclesiæ.*

CONSECT. MORAL. I. Impedimenti autem nomine intelligitur, quidquid Nuptiis vel Contractis, vel Contrahendis obicem ponit, easque vel irritas, vel illicitas reddit. Quæ Matrimonium in ratione Contractus reddunt irritum, sunt *Impedimenta Matrimonium dirimentia* his versibus expressa:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus Disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Ætas, Affinis, si Clandestinus, & Impos,
Si Mulier sit Rapta, loco nec reddita tuto,
Hæc facienda vetant Connubia, facta retractant.

II. Horum alia sunt juris naturalis, ut: *Error Personæ, Amentia, Perpetua Impotentia* &c. alia juris Ecclesiastici, v. g. *Votum, remotiores Cognationis gradus, Crimen, Cultus Disparitas, Clandestinitas, Raptus* &c. quorum omnium nomine quid veniat, quidque speciatim de singulis observandum, copiose docent Canonistæ, & Theologi Morales. Nos, cum Elenchus noster nuper laudatus hic sistat, etiam annuo hoc de Sacramentis in genere, & specie Cursu subsistimus, *impedimento* etiam, licet non *Dirimente*, certe tamen *impediente* irretiti, nempe illo, quod quarto inter *impedimenta impedientia* loco recensetur:

Ecclesiæ Vetitum, Votum, Sponsalia,

TEMPUS.

PA-

PARERGA
EX
UNIVERSA THEOLOGIA
DOGMATICO-SCHOLASTICO-ANTHROPOLOGICA.

PARS I.

De Auctore Hominis.

I. *Theologia Anthropologica* rerum divinarum scientia est circa *hominem* quam maxime occupata. Illius tam ante, quam post Christum natum insignis semper viguit usus. *Scholastica*, si superflua vitilitigia fugiat, nedum bona est, sed & necessaria. Conjuncta cum *Dogmatica* melior. Et principiis *historiæ Ecclesiasticæ* suffulta, omnium optima.

II. Idea Dei *innata* nulla datur, si quidem *innatum*, eo quo debet, sensu accipiatur. Unde & demonstratio existentiæ Dei *quasi a priori* nulla est, *contra Cartesium*, & *Malebranchium*. Optime illa, & invicte ex rerum contingentium serie demonstratur, ex quo *Atheismus* non minus, quam Pantheismus evertitur. Neque fieri potest, ut homo rationis compos Deum ignoret penitus, saltem diutius & citra culpam. *Hæc est vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino ac penitus possit abscondi.* S. August.

III. Essentia Dei in *Asseitate*, sive existentia essentiali consistit. Et ideo unus est tantum Deus. Dogma vero *Manichæorum* duo ab æterno principia statuentium, & impium, & erroneum est.

IV. Deus non est *Antropomorphos*, sed actus purissimus, qui oculo corporeo videri nequit *contra Antropomorphitas*. Neque videri potest oculo mentis in solis naturæ viribus relicto *contra Eunomianos*, & *Beguardos*. Est tamen visibilis ab oculo mentis per lumen Gloriæ elevato, contra *Palamitas*.

V. Ex eo, quod Deus sit ens à *se ipso existens*, ulterius deducimus *æternitatem* divinam. *Contra Valentinianos* autem, *Gnosticos*, & *Socinianos immensitatem*. Ac denique inferimus, Deum in omni genere perfectionis *illimitatum*. Ac quod consequitur, summum ac *incommutabile bonum* esse.

VI. Inter essentiam, & personalitates, sicut & attributa divina non datur distinctio realis Gilberti Poretani. Nec illa *Joachimi Abbatis*. Illam enim in Concilio Rhemensi Eugenius III. hanc in Conc. Lat. *Innoc. III.* merito proscripsit.

VII. Datur tamen distinctio illa *formalis* aut *perfectionalis* V. Scoti, utpote quam tanquam plausibile, & ab omni *errore alienum* systema tam suprema Ecclesiæ capita, quam ipsi etiam illustriores Scholæ Angelicæ Professores pronuntiarunt. Hinc qui illam *imperceptibilem*, *fictam*, *aut ob erroris periculum relegandam* taxaverit, nedum in universam Scholam subtilem injuriosus est, sed & juxta antiqua Gymnasiorum statuta meretur, ut e modestissima ANGELICI PRÆCEPTORIS THOMÆ DE AQUINO schola, tanquam is, qui omnem religiosæ civilitatis *calceum* exuerit, sine ulla gratia excludatur.

VIII. Intellectum pariter & voluntatem divinam non tantum distinctione virtuali *intrinseca*, aut *extrinseca*, verum etiam *formali ex natura* rei distinctam arguimus. Intellectus autem divinus pro objecto motivo respicit solam essentiam divinam tanquam medium prius cognitum, & repræsentativum omnium: pro materiali, & terminativo omne intelligibile. Per scientiam *simplicis intelligentiæ* Deus perfectissime intelligit omnia possibilia etiam secundum esse proprium, & singulare, non tamen immediate in se ipsis. *Contra Socinianos.*

IX. Per scientiam *Visionis* infallibiliter cognoscit omnia contingentia absolute futura, etiam actus nostros liberos salva eorum libertate. Quæ infallibilis præscientia contra ac Hobbesius eructat, cum libero arbitrio hominis optime potest conciliari. Actus tamen illos non videt ante, sed post præsuppositum decretum condeterminans Scotisticum.

X. Præterea Deus summe providus est, summe bonus, cujus providentiæ & bonitati nec mala physica creaturarum, nec moralia officiunt. Unde quemadmodum eidem summa competit Majestas, ita omnis cultus, & *Religio* debetur, cujus existentiam liquido ex attributis divinis derivamus *contra Epicurum*, & *Spinosam*. Religio naturalis utut sancta sit, & vera, minime tamen sufficit ad salutem *contra Deistas*. Extat ergo revelatio, quæ humano generi omnino necessaria est, ut & veram, quam Deo debent, religionem inveniant, & æternam salutem consequantur. *Contra Naturalistas.*

PARS II.

De Origine Hominis.

XI. Inter opera Dei ad extra primum locum obtinet mundi *creatio*, quæ in *tempore*, non ab *æterno*, ex materia quadam *æterna* facta est *contra Socinianos* & *Armenianos*. Mundum hunc optimum esse ex principio *rationis sufficientis* minus sufficienter probat Leibnitius. Neque felicius ex illo: *Deus cessavit die septimo*, præxistentiam animarum in ovulis spermaticis deduxit *Wolfius*. Hujus porro Creationis duplicem finem distinquimus gloriam Dei, & Communicationem felicitatis divinæ.

XII. In mundo spiritus quidam Deum inter & hominem medii, quos *Angelos* vocamus, Conditi sunt, quorum existentia ex revelatione evidenter innotescit *contra Saducæos*. Sunt substantiæ simplices, spirituales, unde & immortales, præditæ intellectu non minus, quam voluntate. Neque in hoc quidquam contrarium Statuit *Concil. Nicæn.* II. approbando dialogum *Joan. Thessalonicens.*

XIII. De statu præterea Angelorum revelatio docet, insignem eorum esse numerum, qui specie ab invicem haud necessario distinguantur: Angelos item tam bonos, quam malos civitatis & reipublicæ speciem quamdam constituere, in qua Capita sint, in qua Ministri sint,

in

in qua Superiores & inferiores, quos *Dionysius Areopagita* ordinate in tres *Hierarchias*, & novem *Choros* distinxit. Mali igne infernali nequeunt *physice* torqueri.

XIV. Alterum post Angelos locum in mundo *Homo* obtinet ad *imaginem divinam* creatus. Et quidem in statu *innocentiæ*, non naturæ *puræ*. Absolute tamen non repugnasset eundem in hoc formari *contra Luther. Calvin. Baj. Jansen. Quesnell.*

XV. Variis, iisque eximiis tum corporis cum animæ prærogativis eo in statu eminuit. Animæ intellectum *scientia infusa*, & voluntatem *justitia originalis*, probabilius a *gratia sanctificante* distincta ornabat. Quin ubi perseverasset, etiam immortalis fuisset, non quidem conditione naturæ, sed gratiæ beneficio, id quod ex propo. damnat. *Pii* V. & *Greg.* XIII. contra *Bajum* inferimus

PARS III.

De Lapsu Hominis.

XVI. Est & datur aliquod peccatum *originis* proprie dictum *contra Pelag.* Quod ab Adamo commissum transfunditur per generationem naturalem ex natura corrupta, non per libidinem *contra Luther. Calvin. Jansen.* Cumque habeat veram & propriam rationem peccati, Adami posteros vere constituit filios iræ, & reos indignationis divinæ.

XVII. *Homines tamen nisi ex semine Adæ nascerentur, non nascerentur injusti.* Trid. quare solum in illos, qui ab Adamo per naturalem generationem descendunt, *eosque omnes*, derivatur. Excipitur tamen Beatissima Virgo etiam ab omni illius debito immunis. Id quod V. Scotus aureo illo: *potuit, decuit: ergo fecit* tam gloriose in Sorbona propugnavit, ut *Mariani* ac *subtilis* Doctoris titulo ab universa Ecclesia condecoratus, modo tot discipulos numeret, quot intemeratæ Conceptionis assertores. Quis igitur sublestus de *Barbarorum* trivio postliminio adrepens Scoto-Mastix, Angelicæ puritatis Vindicem *ex Anglia relegandum* effutiat, quem ipsa Angelorum Regina aliquot jam ante sæcula domo, & patria recepit?

XVIII. Peccatum in genere defectus est a regula dirigente ad finem. Unde peccatum dicimus aliud in genere *naturæ*, aliud in genere *artis*, aliud in genere *moris*. Peccatum *naturæ* Physicus, *artis* Mechanicus, *moris*, secundum quod contrariatu rationi, *Philosophus*, secundum quod est offensa Dei, præcipue *Theologia* considerat. Attamen qui peccat homo in genere moris, advertens actum suum repugnare naturæ, & rectæ rationi, sufficiente quadam ratione cognoscit legem prohibentem Dei. Quare peccatum *moris*, seu *Philosophicum*, transgressionem legis etiam divinæ, atque adeo peccatum simul *Theologicum* esse cognoscimus.

XIX. Ad quodlibet peccatum *Theologicum* duo requiruntur, ex parte nimirum intellectus aliqua saltem *advertentia*, ex parte vero voluntatis aliquis *consensus*. Atque ad incurrendum quidem peccatum mortale advertentia intellectus, & voluntatis consensus plenus esse debet atque perfectus: non item ad peccatum veniale, ad quod incurrendum advertentia, & consensus semiplenus & imperfectus sufficit.

XX. Cum peccata quædam gravius, quam alia adversentur legi, rectæque rationi; alia quoque aliis constat esse graviora, quæ plane æqualia *falso* cum Stoicis asseruit *Jovinianus*. Peccata vero ita inæqualia sunt, ut alia *mortalia* sint, alia *venialia*. Quæ non præcise ex eventu, aut diversa peccantium conditione, ut sectarii volunt, sed intrinsece, & ex ipsa sua natura inter se differunt. Hujus porro differentiæ prima & essentialis ratio in eo stat, quod peccatum mortale sit transgressio legis obligantis graviter, & sub jactura ultimi finis; veniale vero transgressio leviter obligantis.

 XXI. For-

XXI. Formalis malitia peccati non in positivo, sed in privativo consistit. Illius Deus nequaquam est Auctor *contra Manich.* sed sola voluntas creata. Quo fit, ut nec in ratione offensæ, malitiæ simpliciter infinitæ esse queat.

PARS IV.

De Reparatione Hominis.

XXII. Homo in statu *naturæ lapsæ* secundum vires naturaliter debitas in ordine ad bonum *naturale* vi solius peccati originarii non est factus debilior, quam fuisset in statu *naturæ puræ*. Nec adeo natura per lapsum est deformata, ut liberum hominis arbitrium etiam deinceps nequeat sine gratia actuali supernaturali opus aliquod *in ordine naturali* moraliter bonum & honestum efficere. Imo potest homo etiam in statu naturæ lapsæ atque gratia supernaturali elicere amorem Dei *naturalem* super omnia, præscindendo a circumstantiis difficultatem hujus actus valde augentibus. Nec requiritur ad opus moraliter bonum ordinis naturalis gratia habitualis *fidei*, aut *sanctificans*; adeoque non omnia infidelium & peccatorum opera necessario sunt peccata *contra Wiclef. Luther. Calvin. Baj. Jansen.*

XXIII. Non potest tamen homo potentia sive *Physica*, sive *morali* sine gratia supernaturali per Christum elicere ullum actum *salutarem*, & meritorium vitæ æternæ. Et cum de facto ratione elevationis ad finem *supernaturalem* ipsa lex naturalis se extendat ad actus etiam supernaturales, natura lapsa nequidem potentia Physica potest observare totam legem naturalem, aut vincere omnes tentationes, & perseverare diu in amore Dei sine *gratia Theologica* per Christum.

XXIV. Gratia actualis est actus supernaturalis, & motus indeliberatus intellectus & voluntatis, *quo innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat.* S. Aug. *Cum sit utrumque donum Dei & scire, quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Conc. Milev. Quem motum supernaturalem non tantum ad justificationem perfectam, vitamque æternam, sed ad quosvis actus salutares, ad initium quoque fidei, omnino esse necessarium fides certa est Patrum, & Ecclesiæ, stabilita in Conc. *Diospolit.* in Palæstina, *Milevitano* in Africa, *Arausicano* in Gallia, *Tridentino* in Germania.

XXV. Gratiam adeo necessariam, cum vires superet, & exigentiam naturæ, singulis tamen *sufficientem* affert Deus: & facienti (*viribus gratiæ*) quod est in se, non denegat gratiam ulteriorem. Auxilia ejusmodi remote vel proxime sufficientia ad agendam pœnitentiam Deus largitur omnibus peccatoribus, etiam *obstinatis*, quamdiu durat hæc vita. Idem tenemus de omnibus *infidelibus* adultis in ordine ad fidem, & salutem obtinendam.

XXVI. Efficacia gratiæ divinæ non consistit in delectatione cœlesti superiore, & victrici ad mentem *Jansenii*, licet is *esse liberum* contenderit cum ea salvare. Neque in motione illa physica, quæ sit *prævia*, quæ sit *essentialiter connexa* cum actu. Sed in auxilio congruo, seu in iis circumstantiis dato, quibus homo infallibiliter eidem gratiæ est consensurus. I[illegible] porro ut quis inveniat, haud ethnica Diogenis lucerna, sed oleo judicii Theologici opus est.

PARS V.

De Principiis Hominis.

XXVII. Prima actuum humanorum seu moralium proprietas est, ut sint *voluntarii*, seu a principio intrinseco cum cognitione finis. Hinc quidquid ab homine fit ex ignorantia invincibili, simpliciter voluntarium non est, secundum rationem ab operante intentam.

XXVIII.

XXVIII. Poteſt autem dari *ignorantia* aliqua invincibilis Juris non tantum humani, aut divini *poſitivi*, ſed etiam Juris *naturalis* ſaltem quoad aliquas concluſiones, quæ a primis naturæ principiis remotiores ſunt, & ex iis tam facile deduci non poſſunt. Quæ limitatio oſtendit, haud bona fide agere Recentiorem Rigoroſiſtam quemdam, dum aſſerit ignorantiam invincibilem circa atrociſſima quævis, & aperta flagitia, ut poſſibilem defendi. Si vero talis ignorantia circa aliquod objectum alias, & de ſe malum detur: per eam, modo re ipſa vinci non poſſit, operantem a peccato formali excuſari *contra Janſenium* ut certum ſtatuimus. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras.*

XXIX. Altera proprietas actus moralis eſt, ut ſit *liber*, ſeu ut a tali potentia procedat, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere, vel non agere. Hæc potentiæ liberæ definitio immerito a *Pufendorfio* ineptiæ poſtulatur. Cum econtra illa, quæ libertatem appellat *facultatem eligendi ex pluribus poſſibilibus id, quod ex ratione ſufficiente cognita qua tali maxime placet*, ſaltem eo ſenſu, quo in ſyſtemate *Wolfianorum* explicatur, tollerari nullatenus poſſit.

XXX. Hæc porro libertas Indifferentiæ datur etiam in ſtatu naturæ lapſæ. *Contra Calvin. Luther. Janſen.* Et eſt ad merendum, & demerendum neceſſaria. Hanc ipſam libertatis exiſtentiam, & neceſſitatem propugnavit *S. Auguſtinus.*

XXXI. Tertia actus humani proprietas eſt, ut fiat cum *advertentia* rationis ad conformitatem cum regula quadam objectiva, quæ regula non eſt ipſa natura rationalis, ſed *lex æterna*, ſeu voluntas divina aliquid præcipiens, prohibens &c. Et quoad illa quidem, quæ Jure poſitivo præcipiuntur, voluntas divina moralitatis Theologicæ regula eſt ratione noſtra omnium prima. Quoad alia vero (intrinſece bona vel mala) datur regula anterior ipſa videlicet eſſentia divina, & infinitæ perfectiones.

XXXII. Si in materia morum occurrant duæ opiniones certo probabiles, non datur ſemper obligatio ſequendi probabiliorem, & tutiorem. Licet proinde aliquando agere ſecundum minus probabilem, ac etiam minus tutam. Sententiæ autem de licito uſu opinionis minus probabilis, & minus tutæ non eſt locus, ſi in reſolutione quæſtionis reflexæ adſit peculiaris circumſtantia aliqua reſtringens ad probabiliorem, & tutiorem.

XXXIII. Mirum! ab Orthodoxis etiam Theologis, quin ſibi religioni ducerent, contumelioſa id genus dicteria jactari potuiſſe, ut ſententiam hanc modo *errorem intollerabilem, artem peccandi fucatam, ſentinam probabilitatis* compellarent. Quando conſtat Innoc. XI. per Bullam Sanctiſſimus Dom. Noſter A. 1679. editam omnibus præcepiſſe, *ut caveant ab omni cenſura, & nota, nec non a quibuscunque conviviis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede re cognita, ſuper iisdem judicium proferatur.* Perperam porro moderni probabiliſmi origo a Cel. Soc. JEſu Theologis repetitur, Veſtigia Celebrium Thomiſtarum ſecuti ſunt, non præiverunt.

XXXIV. Juris Naturalis exiſtentia contra enorme *Thomæ Hobbeſii*, & *Benedicti Spinoſæ* commentum, nedum ratione, ſed authoritate non minus ſacra, quam profana evidenter demonſtratur. Illius eſſentia neque a *Hugone Grotio*, neque *Pufendorfio*, neque a *Böhmero*, eſt legitime definita.

XXXV. Medium cognoſcendi actum præceptum, aut prohibitum, *Principium cognoſcendi* vocatur: a *principio eſſendi* prope diſtinguendum. Illud hos characteres exigit, ut ſit *omnium primum*, & *ultimum*, *evidens*, & *adæquatum*. His nec *Cultus Divinus* Wernheri, nec *Voluntas Divina* Cocceji effulget.

XXXVI. Neque natura humana independenter, & ante Dei voluntatem ſpectata, regula eſſe poteſt actionum moralium, *contra Wolfium*. Famoſa quoque illa *Socialitas*, quam

Grotius

Grotius velut concepit, enixus est *Pufendorfius*, atro calculo meretur notari. Igitur principiorum omnium primum est illud practice ita conceptum: *quidquid gloriæ, ac attributis Dei, Conditoris creaturæ opponitur, id lege necessaria naturali prohibitum est, & quidquid gloriæ Dei, ac divinis ejus attributis congruit, id lege naturale præceptum.*

PARS VI.

De Mediis sanctificandi Hominis.

XXXVII. Uberrimi gratiarum fontes Novæ Legis Sacramenta sunt, *per quæ invisibilis gratiæ signa visibilia ad nostram sanctificationem divinitus instituta intelligimus.* Perficiuntur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Hæc ipsa porro verba *Consecratoria*, non *Concionalia* esse debent. *Contra Novatores.*

XXXVIII. In statu Innocentiæ nulla re ipsa exstiterunt veri nominis Sacramenta. An autem statu illo diutius perdurante, re ipsa instituta fuissent, id incertum est: quando istud ab una Dei voluntate pendebat, de qua usque huc certi nihil nobis innotuit. Remedium parvulorum in statu naturæ lapsæ pro parvulis fuit verum, sed & unicum Sacramentum. Complura autem in Lege Mosaica fuere Sacramenta, inter quæ Circumcisio gratiam peccati originalis *deletivam* contulit ex *opere operato.*

XXXIX. In statu Legis Novæ nec plura, nec pauciora esse, quam *septem* dogma fidei est in Tridentino definitum, desumptumque ex perpetua Ecclesiæ traditione. Cui non obstat prætensum a *Kemnitio* SS. PP. *Augustino* antiquiorum, ea de re silentium. Ratio tamen, a priori hujus septenarii numeri alia vix dari potest, quam voluntas Christi, quem Sacramentorum omnium auctorem esse cum eadem sacra Synodo profitemur.

XL. Magis autem ad Concilii mentem dici videtur, quod Christus ea instituens *immediate*, & per se ipsum, singulorum *materiam*, & *formam* in genere saltem determinaverit. Ita ut Ecclesia ritus quidem, ac cæremonias sacras, quæ *Sacramentalia* vocantur, statuendi, illasque etiam mutandi potestatem habeat, ipsam tamen Sacramentorum substantiam quoad rationem a Christo determinatam mutare minime possit. Neque tamen quælibet mutatio etiam *Theologice* accidentalis circa eas facta Sacramentum reddit invalidum, sed ea tantum, quæ *Theologice* substantialis est.

XLI. Sacramenta non sunt signa solum *excitativa fidei*, sed etiam non ponentibus obicem causant gratiam *ex opere operato. Contra Socin. Anabapt. Luther. Zwingl.* Quæ verba si sensu Catholico accipiuntur, nil aliud significant, quam quod gratia vi alicujus operis nobis applicati conferatur, *citra*, ut fit in parvulis, vel saltem *ultra* omne nostrum meritum. Patent itaque insulsæ HH. comentationes. Modum autem ipsum, quo Sacramenta causare gratiam dicuntur, quod attinet, sententia quidem Thomistarum propius ad PP. accedere videtur phrasin, mentem tamen securius assecuti sunt Scotistæ, cum *moralem* duntaxat efficientiam Sacramentis concedunt.

XLII. Existit character Sacramentalis, confertur que per *Baptismum, Confirmationem,* & *Ordinem.* Ejus existentia, utut in verbo Dei scripto non explicite, ex verbo tamen Dei tradito, nec non perpetua Orientalis Ecclesiæ, & Occidentalis consensione invicte contra HH. vindicatur. Pura igitur & putida *Kemnitii* calumnia est primum fuisse *Innocentium III.* qui Sæculo XIII. hanc doctrinam in Ecclesiam invexerit. Quam certa autem est characteris natura *Theologica*, tam incerta est, si *Philosophice* expendatur. Num ad qualitatis absolutæ num relationis Cathegorema character hic referendus sit, nobis problema esto.

XLIII.

XLIII. Intentio ad validam Sacramentorum confectionem necessaria considerari potest in ordine quoad *objectum*, & *modum*. Intentio quæ præcise fertur in actum externum tanquam suum objectum, debet esse confusa saltem, & *generalis* faciendi, quod facit Ecclesia. Hanc intentionem stare non posse cum *fictione* externa contra *Sectarios* optime definitum est a Tridentino. Quam definitionem etiam ad fictionem in solo animo retentam extendendam esse, ex propositione ab Alexandro VIII. damnata eruimus, quidquid *Catharinus* ejusque vindices opponant.

XLIV. Ad valorem Sacramenti in Ministro non requiritur fides, utpote quæ etiam ab Hæreticis collata, si nil aliud desit, non esse irrita ostendit perpetua Traditio, praxis & consuetudo Ecclesiæ, quam fere unam in celeberrima controversia de rebaptizandis Sæc. III. S. *Cypriano* opposuit *S. Stephanus*. Error item est jam olim a *S. Augustino* in *Donatistis* reprehensus, in *Wicleffo* vero a *Constantiensi* & *Tridentino* damnatus, quod ad valorem Sacramenti in Ministro necessarius sit status gratiæ. Per se loquendo tamen Sacramentum conficiens ex officio peccat mortaliter, si id conficiat in statu peccati mortalis.

XLV. Epistolæ *Cypriani* genuinæ sunt, neque a *Donatistis* confictæ; indubitatum igitur tenemus contra Cl. P. *Raymundum Massorium* nostrum, quod *S. Cyprianus* & *Firmilianus* revera censuerit, & propugnaverit baptizatos ab Hæreticis esse rebaptizandos. Quin probabile videtur eos credidisse, quod non de mera disciplinæ, aut œconomiæ quæstione, sed de præcipuo quodam fidei dogmate ageretur.

XLVI. Quodnam illud fuerit plenarium Concilium toties ab *Augustino* commemoratum, etiamnum problema est, *Launojo* pro Arelatense I. *Joanne Nicolao* contra pro *Nicæno* I. acriter decertantibus. *Nicænum* tamen ab *Augustino* intellectum verisimilius est, quamquam omnino nihil interest ad veritatis defensionem, cui parti palma deferatur. Neque tamen celebrato Concilio statim ubique gentium Ecclesiæ pax reddita est. Quod *Basilii M.* & forte etiam *Athanasii* ac *Cyrilli Hierosol.* exemplo haud obscure significatur.

XLVII. Novitium esse in Ecclesia Cæremoniarum usum putida est Hæreticorum calumnia. Licet illæ non ad essentiam Sacramentorum, ob mysticam tamen suam significationem ad majestatem, decoremque cultus divini spectant. Unde Sacramenta ministranda sunt cum receptis Ecclesiæ Cæremoniis, neque hæ omnino regulariter sine peccato negligi possunt.

XLVIII. Fide certum est Baptismi auctorem esse Christum. De institutionis autem tempore dubitatur: bifariam in partem divisis inter se non modo Scholasticis DD. sed & ipsis PP. Nobis cum potiori tam PP. quam Scholasticorum parte verisimilius videtur, Christum ante mortem suam instituisse Baptismum. Licet certum hujusmodi institutionis tempus determinari haud possit.

XLIX. Sola aqua naturalis est materia Baptismi remota: Errant proinde, qui duce *Calvino* Instit. Lib. 4. verba illa: *nisi quis renatus* &c. ad metaphoram detorqueant, ac per aquam cordis *compunctionem* intelligant. Proxima autem Baptismi materia est ablutio per aquam. Perinde autem est ad Baptismi substantiam, seu ea fiat per *immersionem*, seu per *affusionem*, seu demum per *aspersionem*. Neque etiam vetus mos Baptismi per trinam immersionem conferendi vel primis sæculis adeo stabilis, & universalis fuit, ut non ab ea recederetur aliquando.

L. Necessaria est in Baptismo certa verborum forma. Errant proinde *Lutherus*, *Zwinglius*, item & *Brentius*, qui citatam Baptismi formam ita probant, ut simul absque ea Baptismum valere existiment. Ad valorem autem Baptismi in ejus forma necessarium est exprimere actum baptizandi, per hæc aut his æquivalentia verba: *Ego te baptizo.* Item distinctam trium Divinarum Personarum invocationem. Hacque semper usi sunt Apostoli baptizantes.

LI. E Veteribus primi circa Baptismi efficaciam errarunt *Manichæi* & *Origenistæ* utrique Sæc. III. Sectarii, quorum hi docebant per Baptismum tegi tantum peccata, tolli autem primum post mortem: illi vero vim omnem penitus abrogabant Baptismo, quam male coctam Veterum Crambem ex parte recoxerunt, ac ne de alieno vivere tantum viderentur, novos præterea adjecerunt errores posterioris ævi *Sectarii*. Certum & indubitatum fidei dogma est per Baptismum vere ac proprie deleri & tolli omnem culpam, tam originalem, quam actualem. Hæc ipsa remissio conjuncta est cum condonatione simul omnis pœnæ in vita futura peccatis debitæ, non autem pœnalitatum, quæ ad naturæ humanæ peccato vitiatæ conditionem hoc providentiæ statu consequuntur.

LII. *Baptismus aquæ* re ipsa susceptus regulariter omnibus tam infantibus, quam adultis necessarius est, necessitate medii ad salutem. Si autem reipsa percipi nequeat, suppleri potest Baptismo *flaminis*. Quin & *Baptismus Sanguinis*, seu *Martyrium* supplet Baptismum tam in adultis, quam infantibus.

LIII. Infantes sunt Baptismi capaces, nec juxta *Anabaptistarum* commenta exspectandus est in iis rationis usus. Licet etiam baptizare infantes infidelium politice duntaxat Christianis Dominis servientium.

LIV. Pœnitentia, prout in Lege Nova administratur, vere ac proprie dictum Sacramentum est. Et quidem a Baptismo, & ejus memoria distinctum. A Christo Domino post resurrectionem suam præcipue institutum.

LV. Inter hujus partes neque *terrores conscientiæ* incussi a lege. Neque *fides ex Evangelio* vel absolute concepta in sensu *Lutheri*. Neque mortificatio, & *vivificatio* ad mentem *Calvini* numeratur. Sed præter Sacerdotis absolutionem requiruntur ex parte pœnitentis *Contritio*, *Confessio*, *Satisfactio*.

LVI. Ad *contritionem perfectam*, quæ extra Sacramentum hominem reconciliat Deo, requiritur, ut procedat ex motivo charitatis Dei super omnia: Atque per hoc tanquam rationem specificam distinquitur a *contritione imperfecta*. Debet quoque saltem virtualiter & implicite se extendere ad omnia peccata mortalia commissa. Non item ad omnia venialia.

LVII. Contritio hæc charitate perfecta non solum in casu necessitatis, sed *semper* & *infallibiliter* statim justificat hominem, antequam Sacramentum actu suscipiatur. Neutiquam vero est dispositio necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ rite percipiendum. Sed ipsa *contritio imperfecta* ad fructum & valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficit sine aliquo initiali amore Dei super omnia, qui distinctus sit a spe veniæ obtinendæ.

LVIII. Cum tamen contritio etiam perfecta non nisi cum voto Sacramenti justificet, *Confessio* quoque Sacramentalis omnibus post Baptismum in grave peccatum lapsis necessaria est necessitate *juris divini*, & in hac providentia etiam necessitate medii. Constat autem Sacerdotes judicium Confessionis incognita causa exercere non posse, proin non sufficit *in genere* tantum, sed oportet *in specie* potius, & sigillatim a pœnitente omnia peccata mortalia in Confessione recensere.

LIX. Sacramentum, & judicium Confessionis perficitur, quando a Sacerdote sententia pronuntiatur, & *absolutio* impenditur. Cujus forma & essentia his verbis continetur: *absolvo te*. Impertirique sub conditione potest moribundo Catholico, etsi nullo signo ante edito absolutionem petierit. Absit autem, ut partem adversam ex *Anglia* non tam in *Scotiam*, quam immitiorem *Tartariam* relegamus. Id enim quemadmodum minus religiosum, ita ab Institutoris nostri *Seraphici* legibus nimis alienum esset. Scilicet *nullum petulantis judicii indicium certius est, quam alterius Scholæ sententias licentiosius sugillare*. Adag.

PARS

PARS VII.

De Rectoribus Hominis.

LX. Sacramentis institutis nondum acquievit infinita Clementia Salvatoris. Ecclesiam insuper supra Petram ædificavit, dum ex duodecim Apostolis elegit Petrum, cui & primatum promisit, & promissum reipsa tradidit. Successio Episcoporum Romanorum a *S. Petro* usque huc, neque quoad factum *S. Stephani*, aut *Siricii*, aut *Stephani III.* circa materiam Baptismi; neque quoad factum *Nicolai M.* quoad formam Baptismi, aut denique sententiam *Joannis XXII.* errore aut hæresi aliqua fuit maculata.

LXI. Datur in Ecclesia *Hierarchia*, in qua Episcopi Presbyteros, hi Clericos inferiores, & Laicos jure divino præcedunt. Ipsorum autem *Episcoporum* potestas est immediate a Deo. Hæc ipsa Clericorum, Laicorumque denominatio jam ante *Tertullianum* obtinuit, neque discrimen hoc, ut invide *Böhmerus* contendit, ullum Ecclesiæ intulit detrimentum, in qua sola, exclusis reliquis *Heterodoxorum* Sectis, verum Sacerdotium invenitur, & jurisdictio spiritualis. *Ab hac Catholica Ecclesia quisquis fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* S. August. Epist. 141. olim 152.

TANTUM!

AMOR POENITENS INITIALIS,

UNA CUM PARERGIS

DE

SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTIS,

PUBLICÆ DISPUTATIONI EXPOSITUS

A

FF. MINORIBUS CONVENTUALIBUS

S. P. FRANCISCI,

PRÆSIDE

P. F. GEROLDO JOST, De Wertenſtenio.

DEFENDENTIBUS

P. GENNADIO SCHMÖGER, De Maynga.

F. LEOPOLDO PETZELT, De Offonisburgo,

IN CONVENTU NOSTRO HERBIPOLENSI AD Ss. CRUCEM.

Anno MDCCLVI. Menſe Julio Die 19. horis 8vâ ante & 2dâ poſt meridiem.

WIRCEBURGI

Typis, Rauſchiorum Hæredum & Walder.

Tene certum, dimitte incertum.

S. Aug. Serm. 323. ad finem.

DE Amoris Initialis necessitate dicturis, ea hic discutere, quæ angustæ hæ paginæ permittunt, expediet: non enim tota, qua patet latitudine, eam versare, aut omnes locos Theologicos percurrere animus, si S. Scripturam, si Tridentini mentem, si rationis tandem præsidia pro parte, quam suscipiemus, habebimus opportuna, sufficiet, illam ab improbabilitate vindicasse, imo moralem quamdam certitudinem polliceri, confidenter dicemus. At, quia a terminorum notione implicatæ materiæ perspicuitas dependet, inde

Notiones variæ explicantur, certa ab incertis separantur.

I.

ANte omnia scire oportet, in quo præcipue totius subjectæ materiæ difficultatis cardo rotetur, quod brevibus declaratum volumus. Disputant Theologi circa *De quo sit agendum?*

ſufficientiam attritionis cum Sacramento vel Baptiſmi vel Pœnitentiæ: Alii ſolam attritionem ex metu gehennæ; quam formidoloſam vocant, alii cum delectatione ſeu amore concupiſcentiæ copulatam profitentur ſufficere ad materiæ ſubſtantiam. Prima ſententia paucos modo, plurimos altera colit Patronos. At tertia quædam ſententia hanc utramque inſufficientem declarat, expetens amorem ſaltem initialem amoris benevolentiæ & charitatis, quorum mens eſt, ut amor ſit pœnitens, ſeu pœnitentia omnis ſit charitati non perfectæ & completæ, ſed initiali juncta, ex quo jam patet, quanta cura definitionum accurata notio ſit inſtituenda.

2.

Quid Timor? Primo itaque Timor venit in apricum; hic nobis duplex diſtinguitur, alter ſervilis, alius filialis, quorum uterque in alias partes abit. Servilis enim vel ſimpliciter talis eſt, vel ſerviliter ſervilis: primus & timet pœnam, & abſolute, quia timet, peccatum deteſtatur, ac ab illo deſiſtit: ſecundus timet pœnam, ſed peccatum non deteſtaretur, ſi pœna non eſſet: conditionate a peccato deſiſtit, quod committeret, ſi pœna non eſſet. Timor filialis vel intereſſatus eſt, quo peccatum ideo deploratur perpetratum, quod Pater offenſus ſit, a quo filius multa bona habet: vel caſtus, quo Patris in ſe boni tam ſuavis tam amabilis tam eximiis benevolentiæ ac manſuetudinis dotibus excellentis offenſa timetur.

3.

Quid Amor? Non aliter amor diſcriminari a Theologis ſolet: quemadmodum amor eſt proſecutio boni, ita alius concupi-

cupiscentiæ suum interesse, ac quærit, quæ sua sunt: alius benevolentiæ posthabito omni emolumento alteri bene vult: & hoc vel appretiative, nihil æstimando, præferendo huic, quem amat: vel intensive, & hoc dupliciter: aut tenerrime, sicut sponsus in sponsam fertur, aut serio, cum contentione spiritus, efficaciter, cum animi constantia, applicatione ac conatu, atque idipsum denuo vel initialiter, dum incipit, vel consummate, dum perficit suam omnimodam ad Deum conversionem. Interim sæpe fit, ut peccator convertendus timorem amori copulet: e. g. si detestatur peccatum, quia pœnam timet, & simul quia Deum ut sibi bonum diligit, quem perdendum metuit, talis vocatur timor amori concupiscentiæ junctus: si timet pœnam, & diligit Deum in se bonum, est timor benevolentiæ junctus. Cæterum rationes istæ, propter quas vel amas, vel times, motiva vocantur.

4.

Contritionis definitionem Tridentinum Ss. XIV. c. IV. subministrat: quod sit *animi dolor, ac detestatio de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero.* Tria nempe includit contritio, primo dolorem, secundo detestationem præteritorum, tertio propositum deinceps non peccandi. Hi tres actus vel possunt ex diversis motivis, vel a voluntatis elicientis intensione aut remissione variari, atque inde in scholis controversia nascitur, an contritionis perfectio aut imperfectio a motivis, an vero ab intensione & remissione operantis sit desumenda: quidam contritionem perfectam illam nominant, quæ dolet ex motivo appretiativo (3.), imperfectam; *Quid Contritio?*

quæ vel ex motivo pœnæ (2.), vel amore concupiſcentiæ (3) proficiſcitur: contra alii contritionem perfectam ab intenſione tenerrimi, alii ab intenſione efficacis, ſerii, conſtantis amoris deſumunt, illam imperfectam eſſe contendentes, quæ etſi ex eodem motivo fluat, languida, tardior, nondum ſatis confirmata in bono ſit.

5.

Quænam certa ſint? Datis his notionibus illa, quæ in quavis opinione certa eſſe debent, ſunt ab iis, quæ controverti poſſunt, ſecernenda. 1mo. Omnes tenentur admittere, timorem x metu pœnæ ſanctum & ſalutarem eſſe: id definitum n Tridentino eſt Ss. XIV. c. IV. nec alium niſi ſerviliter ſervilem exceptum volumus: hic peccaminoſus eſt, nec voluntatem peccandi ob conditionem illam imbibitam excludit (2). 2do. Poteſt quævis ſententia admittere ſine cauſæ ſuæ præjudicio contritionem perfectam cum ſacramento non requiri: etſi enim id definitum clare non ſit, præjudicare tamen efficaciæ Sacramenti Doctores non tantum evincunt, ſed & menti Trid. conforme eſſe demonſtrant ex Ss. citata. Sufficere ergo contritionem imperfectam cum Sacramento, quæcunque demum illa ſit, utraque ſententia ſupponit. 3tio. Tutius eſſe, ut quis non ſolum ex metu pœnæ, ſed & ex amore ſummo, ſi poterit, doleat, nemo facile negabit. Si enim ſententia attritionis formidoloſæ falſa eſſet, actum de ſalute defectu materiæ validæ foret; econtra etſi ſententia contritionem exigens falſa foret, non tamen ſalus animæ periclitaretur. 4to. Admitti debet, nullam ex ſententiis ſibi oppoſitis (1) eſſe in terminis expreſſis vel definitam, vel damnatam, ut ex Decreto Alexandri VII. ad Belgii Doctores liquet;

quet; ergo quævis impune defendi poteſt, nec licet cenſuram inurere iis, qui vel attritionem formidoloſam ſufficere, vel eam inſufficientem eſſe conantur evincere.

6.

Solum itaque controverſia in eo poſita eſt, an contritio illa pro imperfecta hactenus exiſtimata, nempe attritio formidoloſa, ſeu dolor ex timore ſimpliciter ſervili conceptus ſit ita ſufficiens cum Sacramento Baptiſmi & Pœnitentiæ, ut taliter dolens adhibere debitam materiam dici poſſit? *2do.* Controvertitur, an, ſi huic timori jungatur amor quidam, concupiſcentiæ dictus, tunc ſaltem ſit contritio illa imperfecta, quæ ad materiæ valorem cum ſacramento ſufficiat? vel *3tio.* An requiratur ad valorem amor initialis benevolentiæ ſeu charitatis, ita, ut charitas appretiativa ſaltem remiſſior ſit de eſſentia, qua poſita habeatur, qua non poſita deficiat materia ad prædictum Sacramentum neceſſaria? prima opinio pauciores, 2da plurimos & id temporis innumeros patronos habet, 3tia variam fortunam ſuſtinuit, olim ante Tridentini tempora communis, poſtea rarior, modo venerandum antiquitate caput denuo extollit. *Quid incertum?*

7.

Et hæc ultima ponderatis utrinque rationibus fortior & verior nobis viſa eſt, eſtque ipſiſſima, quam præſenti diſſertatiuncula probandam ſuſcipimus, proteſtantes neminem offenſum iri, ſententiæ oppoſitæ ob Authorum, quos nutrit, Pietatem Doctrinam ac Majeſtatem nos reverentia non judicio ſubſcribere, ſed veritatis amore ea dicere, quæ in tanto ſalutis diſcrimine magis *Noſtra Sententia.*

gis

gis expedire visa sunt. Dicimus itaque attritionem formidolosam ex metu poenæ, etiam amori concupiscentiæ copulatam non sufficere cum Sacramento ad justificationem peccatoris, sed requiri insuper ad valorem amorem saltem initialem Charitatis & Benevolentiæ, seu quod perinde est, Amicitiæ, idque ex tribus duntaxat locis Theologicis evincere conabimur, paupertati quam profitemur, consulentes.

Assertio ex S. Scriptura probatur.

8.

Triplex est Testimonium S. Script. in hoc Puncto.

TRiplicia sunt S. Scripturæ testimonia, quæ necessitatem amoris benevolentiæ aut amicitiæ, seu charitatis, quæ deinceps synonima nobis erunt, demonstrant. Primo aliqua absolutam necessitatem testantur. Secundo alia necessitatem hypotheticam, si conciliandus peccator cum Deo sit, 3tio alia amorem ab homine expetunt, si condigna cælo opera sit editurus, exposcunt. Duo duntaxat priora ad nostrum institutum pertinent; ergo quid ad probandam nostram sententiam inde evinci possit, deducemus.

9.

Primum Testimonium.

TEstimonia, quæ absolutam amoris necessitatem cuivis homini præscribunt, sunt sequentia: Deut. VI. præcipitur: *Audi Israel . . . diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: eruntque verba hæc, quæ ego PRÆCIPIO tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis: . . . scribesque ea in limine & ostiis Domus tuæ.* Et sane cum Præcepti non solum Divini sed & naturalis sit, derogari

huic

huic per Legem novam non potuit, imo renovatum a Christo Domino est per illud Matt. XXII. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est primum & maximum mandatum.*

10.

Jam ex his S. Script. testimoniis evidenter patet, dari Præceptum Primum & Maximum, in hoc consistens, ut *diligamus Deum ex toto corde* &c. Porro nemo erit, qui hic charitatem, non concupiscentiæ amorem præcipi negare poterit, omnes de amore appretiativo exponunt, voluntque, clarissime his verbis necessitatem charitatis exponi. Hercle, si hic non amor charitatis præcipitur, nulla certo existeret lex diligendi Deum ex charitate appretiativa, adjuncta enim *ex toto corde* &c. clarissime innuunt, charitatem non vulgarem, non interessatam, sed tantam exigi, ut proprio interesse animæ ac cordis seu corporis emolumento præferri debeat, nec credimus fore Theologum, qui hac in parte dissentiat, cum aliud V. T. remedium non fuerit, ut graviter lapsus cum Deo in amicitiam redeat, quam per contritionem ex charitate seu amore appretiativo profectum. *Ejus expositio.*

11.

Interim non modica inter eruditos est disceptatio, quoties hoc Charitatis præceptum in vita obliget: fuerunt, qui nimis extenuantes hoc præceptum, conscientiæ nulli sibi duxerunt, ut raro admodum obligare docerent. Sufficit adnotare propositiones ab Innocentio XI. damnatas: Ordine 5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Ordine 6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.* *Quanta obligatio?*

 Or-

Ordine 7. *Tum solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.* Ex quibus propositionibus indubitanter inferimus: præceptum Charitatis (9) sæpius obligare: hanc obligationem non esse ad diligendum Deum amore tantum concupiscentiæ, sed charitatis: (9) sub peccato mortali obligare hoc Primum & Maximum Præceptum: tandem non solum, quando teneamur justificari, sed & alias obligare, imo etsi habeatur alia justificationis via.

12.

Præcipue Peccatoris Jam nolumus esse persuasi, hoc præceptum justos tantum, minime vero peccatores tangere, dum illi jam sunt amore gratiæ habitualis energia Deo suo conjunctissimi, hi vero Deo suo jungi, in quem peccarunt, summopere egeant. Peccatores ergo præcipue spectat, ut redeant ad amorem, concipiant odium peccati, ac amicitiam charitate plenam cum Deo ineant, illumque amore appretiativo amplectentes rebus creatis omnibus vi hujus præcepti (9) anteponant, adeoque contritionem, quæ in hac Charitate appretiativa præcipue consistit (4) eliciant.

13.

Quid deduci possit? Jam pronam stabilitis hisce principiis ad asserti nostri (7) veritatem fluere consequentiam arbitramur. Tenemur sæpius in vita diligere Deum (11) non dilectione aliqua concupiscentiæ, sed appretiativa (9): hoc præceptum quam maxime obligat peccatorem, si vult, & si tenetur, ut se justificet (12): in Sacramento vero Pœnitentiæ peccator totus in eo est, ut justificetur (4); ergo tunc maxime illud contritionis præceptum urgebit, non consummate ac complete (5); ergo initialiter, vialiter,

ac

ac quantum patitur ſtatus nimium caducis agglutinati miſeria: nempe, ſi totum obſervare de ſe non poſſit præceptum, utatur adminiculo Sacramenti, ut illud adimpleat: ſi mandati hujus primi apicem perficere ac conſummare nequeat, initialiter ſe diſponat, ut hoc ſanctiſſimo conamine faciat, quantum poſſit. Et dabit Dominus, ut poſſit ulteriora. Trid. Ss. VI. cap. XI.

14.

Imo caſum ponere lubeat, ut vel anno integro peccator in cœno peccati hæreat, vel etiam per totius vitæ dies in ſtatu damnabili peccatorum merſus innatet vitiis: ponatur, quod urgente annuæ confeſſionis præcepto, urgente in extremo vitæ periculo confeſſione, non niſi attritione formidoloſa, aut etiam amori concupiſcentiæ copulata (2. 3.) munitus Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiat: an ergo juſtificatus tunc deſcendet in domum ſuam vel æternitatis? aut nondum defectu implendi præcepti charitatis (9) eſt juſtus? ſi 1mum; ergo evacuare attritio Primum & Maximum Mandatum charitatis poterit? ergo immunem ſe ab obligatione reddere, & propoſitiones damnatas (11.) elevare evertere ac eludere? abſit. Si 2dum; ergo tunc contritionem jungere Sacramento tenebitur, ſi non complete; initialiter ſaltem: ſi immerſum nimis peccatis cor plene intenſiſſime conſummate non ſuſtinet; incipiat, ferveat, conetur, dummodo Deum omnibus creatis, in quæ cœcus deperiit, anteponere incipiat, adjutus Sacramenti Præſidio completum habebit Juſtificationis negotium.

Præcipue in quibusdam caſibus.

15.

Secundum Testimonium.

Sed graviora supersunt S. Scripturæ momenta, quibus in hypothetica necessitate, dum peccator redire per Pœnitentiam ad Deum cupit, amor non improprius concupiscentiæ sed benevolentiæ & amicitiæ præcipitur. Proponit illum Joannes Cap. XIV. ℣. 21. 23. *Qui diligit me,* inquit, *diligetur a Patre meo, & ego diligam eum ... si quis diligit me, ... ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Verbo quasi unico id complectitur sapiens Prov. VIII. ℣. 17. *Ego diligentes me diligo.* Quanti id testimonium æstimari debeat, vel ex eo liquet, quod ab ipso amoris Magistro & discipulo Joanne profluat. Ponit nempe conditionem illam, qua supposita Pater & Filius ad peccatorem diverti soleat, & maneat per gratiam habitualem; sine hac enim non intelligitur manere Deus in nobis, secundum illud: *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Hæc conditio dilectio est, respondens Dilectioni Divinæ, ut sit reciproca: sed Dei dilectio charitas est in cordibus nostris diffusa; ergo ut sit amor mutuus, ac dilectio æquivalens, charitate charitatem Divinam excipere, sua charitate Paternam in nos flectere dilectionem oportet. Nec excipitur hic Sacramenti Præsidium, absolute loquitur amoris Magister, imo in sensu obvio verba sumi possunt in nostra hypothesi sine Sacramenti præjudicio; ergo, nisi vel contradictio, vel absurdum sequatur, non nisi de dilectione propria & Sacramento etiam conjungenda debent intelligi, nempe ut charitas respondeat charitati.

16.

Contra quod frustra excipitur.

Vel excipe per nos licet casum, quo dolori Sacramentum cupis jungere: ergo in hoc casu opus superero- gato-

gatorium dices charitatem: at explicare tunc notoria illa 1. ad Corinth. Ep. cap. XIII. verba lubeat: *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, ... nihil sum.* Et *si ... tradidero corpus meum, ita, ut ardeam ... nihil mihi prodest.* Ecce! fidem, prophetiam, donum linguarum, tandem & ipsum Martyrium, etsi de cætero suppletivum baptismi sit, & eandem vix non Sacramentis communem habeat efficaciam, nihil esse sine charitate docet: quid? quod & Divus Aug. Tract. 6. in Joan. I. *nunc Donate*, exprobret, *& clama ... si linguis angelorum loquereris, charitatem non habens, audirem æra sonantia .... sed inquies: Habeo Sacramentum. Verum dicis, Sacramentum Divinum est: sed quid dicit Apostolus? si sciero Omnia Sacramenta &c. charitatem autem non habeam, nihil sum.* Quæso! nunquid expressis terminis Divus Doctor nostræ subscribit hypothesi, dum Sacramenta sine charitate prodesse nihil, docet aperte. Nullus sane evadendi locus superest, sermo de Sacramentis, non extra, sermo de Charitate non amore concupiscentiæ movetur. Nec etiam de Charitate habituali intelligi verba Pauli possunt, cum Martyrii non causa sed effectus sit gratia habitualis, ergo de actibus charitatis intelligi debet Apostolus, qui sint necessaria cum Martyrio dispositio ad gratiam inde obtinendam.

17.

Clarissima sane & vix non demonstrativa sunt S. Scripturæ loca, quibus in quavis peccatoris conversione, ergo & sacramentali, neutiquam pro motivo conversionis vel metus vel amor quidam improprius concupiscen- *Confirmatur aliis Testimoniis.*

tiæ aſſignatur: ſunt V. T. & N. Teſtimonia e. g. Deut. IV. v. 29. legitur: *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Quid ſibi hæc verba: *Toto corde?* quid? *tota animæ tribulatione:* Similia Jeremias Cap. XXIX. v. 13. Iſaias v. 21. Cap. XLV. Joel Cap. II. v. 13. *Scindi corda*, & Ezechiel Cap. XVIII. v. 30. & 31. *Cor novum* & *ſpiritum novum* ad converſionem exigit peccatoris: ſane hæc Juris naturalis ſunt, in N. & V. Teſtamento æqualiter obligantia. Requiritur ergo æqualis ubique converſio, idem Deus, idem peccatum, eadem Pœnitentiæ neceſſitas, nullibi timor, nullibi concupiſcentiæ delectatio aſſignatur, ſed Charitas inculcatur.

18.

Etiam Novi Teſtamenti.

Vel ſi ratione ſacramentalis Adjutorii exceptam ab hac obligatione Legem cupias, inſpicere etiam illa Teſtimonia lubeat, ubi virtus Pœnitentiæ jam fuit elevata ad Sacramenti dignitatem: an minus vi hujus elevationis exigat Chriſtus Dominus? an ipſe inſtituens eſſentiam Sacramentorum aliam præſcribat doloris materiam, quam eam, quæ apud adverſæ ſententiæ Patronos perfecta, apud nos, ſi minoribus gradibus ſit veſtita, imperfecta, ſi intenſioribus, perfecta audit? contritionem Chriſtus Dominus ſemper cupiit eſſe materiam, gradus ob infirmitatem humanam determinare noluit, hos duntaxat Eccleſiæ ſuæ decidendos, non ipſam ſubſtantiam, vel ſi Eccleſia decidere nolit, prudentium Judicio reliquit: at ſicut Eccleſia nil ſe immutare poſſe circa ſubſtantiam Sacramentorum candide fatetur, ita aliam aſſignare doloris materiam, niſi in S. Scriptura fundatam Doctoribus quibuſcunque non licet. Jam vero

quia

quia dilexit multum (en gradum noluit assignare!) *ideo peccata multa remissa sunt Peccatrici*, vel Magdalenæ, si criticæ parcamus, terminis formalibus dilectio ponitur Pœnitentiæ materia. Non nisi, *quoniam diligimus fratres, de morte translati sumus ad vitam.* 1. Joan. III. v. 14. ergo dilectio est illa materia, cui gratiam sacramentalem adnexam voluit Christus Dominus. Non enim tunc oblitum aut immemorem fuisse credimus vel jam instituti aut instituendi Sacramenti Pænitentiæ, ut quoad substantiam voluerit aliam in, aliam extra Sacramentum instituere Pœnitentiæ seu conversionis ad Deum materiam: Ergo satis conformiter institutioni illa sententia loquitur, quæ contritionem perfectam vobis, nobis imperfectam ob gradus seu intensionis defectum exigit, servans institutam a Christo materiam, varians in intensione & remissione, quæ accidentalia vel Ecclesiæ, aut Doctorum Judicio possunt relinqui.

19.

Et ex his principiis cessat illa molestia, qua nostræ sententiæ Clientes impetere conantur opinionis contrariæ Patroni: Sequi ex his argumentis, non imperfectam sed & perfectam exigi charitatem, quam nec nos admittere ex dictis liquet (5). At miramur, si nostram satis penetrare mentem lubeat, quomodo similibus retorsiunculis rem adeo perspicuam obfuscare ament. Charitas his in locis præcipitur ex corde integro, appretiative summa, imo illa, quæ in adversante sententia perfecta audit (4): concedimus id: at sequiturne, quod præcipiatur etiam summa intense consummate? ubinam gradum S. Scriptura determinat? de amore appretiative summo intelligendos

Præcipua retorsioni respondetur.

esse

esse hos textus ultro concedimus, nam & hic charitatis initialis objectum est. Intensissime simul operatam esse D. Magdalenam ultro credimus, remisisse peccata Christum Dominum non vi Sacramenti, sed virtutis Pœnitentiæ ex perfecta charitate profectæ persuasi sumus, quid inde? ergo hæc, quatenus appreviative summa est, præcipitur, sed intensionis gradus nullibi assignantur. An alia prostat in S. Scriptura pro Sacramento materia? ostendant, & sequemur: novitatem Salmanticensem introducere non posse materiam prioribus sæculis inauditam credimus. Quid superest, nisi, ut explicando S. Scripturam, servemus ea, quæ substantialia sunt, accidentalia dicamus intelligi ac implicite contineri, cum omnis consummatio initium habeat præcipitur ergo his textibus charitas, intensio non apponitur, sed subintelligitur, pro diversitate subjecti, in quo ponitur charitas: si Sacramentum suscipiatur, remissa sufficit, secus intensa requiritur. Novam vero attritionem servilem esse pro sufficienti Sacramenti materia testes sunt omni exceptione majores. Pallavicinus *aliquod duntaxat ejus vestigium reperit* in Trid. historia. Suarez nec *valde antiquam nec multum communem NOMINAT.* Non ita *multum vetus* appellat Soto in IV. Dist. XVIII. q. 3. Art. 2. infelicia sane sæcula, quibus ad posteriora usque tempora erant incomperta media ad salutem necessaria.

20.

Alia confirmatio. Sed & decretoriam adhuc sententiam ponere videtur D. Paulus Epist. ad Rom. VIII. ℣. 13. 14. *Si Spiritu*, inquit, *facta carnis mortificaveritis, vivetis: quicunque enim Spiritu Dei: aguntur, ii sunt filii Dei: non enim*

acce-

accepiftis Spiritum fervitutis iterum in timore fed accepiftis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater! quid clarius in rem noftram ? qui *Spiritu Dei aguntur, charitate aguntur*, inquit D. Aug. Serm. 13. de Verbis Apoft. c. 13. Ergo *non in timore fed in dilectione, ut non fervi fed filii fimus. Qui adhuc enim ideo bene agit quia pœnam timet, nondum EST INTER FILIOS.* Eft ipfiffima præfati Doctoris expofitio, & opinionis noftræ decifio.

21.

Dum nullum Teftimonium Div. ex adverfo ftat.

Univerfim edicant unicum ex S. Scriptura Teftimonium: quo probent ad peccatoris converfionem fufficere illam, quam prætendunt, attritionem fervilem. Ergo fundatam nos in S. Litteris opinionem, non illi tenent. Quæ hæc operandi fecuritas ? dum infallibili nos Spiritus S. effato nitimur: fallibili altera fententia fcholæ Salmanticenfis novaque aliqua opinione tota fulcitur: certum relinquunt, incertum tenent, ubi de animæ falute, de re fummi momenti, de materia Sacramenti neceffarii neceffiitate medii fit quæftio: alia tot fæculis Sacramenti materia: nova fucceffit, quæ tuto antiquitati venerandæ in S. Litteris Bafiatæ vim fuam ac neceffitatem dicatur rapere, imo tam fublimes erigere criftas non dubitet, ut illam improbabilem fucceffu temporis multitudine avium uno volatu fequentium, fe vero reddat moraliter certam. Sane gravioris momenti hæc funt, non oportet judicio præcipiti Doctorum placita S. fcripturæ oraculis anteponere: non aliud primæ fententiæ remedium eft, nifi ut et ipfi ejus Patroni

diligere incipiant, 2dæ vero opinionis Doctores bene diligere discant: in rebus enim divinis divino oraculo niti oportet.

22.

Tournellii hypothesis non satisfacit.

Nec vim argumenti eludere hos posteriores cum Tournellio posse arbitramur, quasi per dilectionem illam seu concupiscentiæ amorem (3) solidè satis explicari possint citata hæc S. Scripturæ loca, dum etiam in illa dilectione spei amorem Dei super omnia contineri fucum suæ sententiæ facit. si id verum: ergo male vocatur concupiscentiæ amor, qui bonum ut sibi bonum, non alterius respicit, finis est ipse sibi, suum interesse ac emolumentum prosequitur; ergo jam non diligit Deum super omnia; cum super se ipsum non diligat: evacuaret hoc principium tertiæ virtutis Theologicæ aquirendæ per dispositiones prævias necessitatem: imo, si actus Spei essent actus amoris, ipsas quoque confundere virtutes ac principia pronum esset. Manere in sua Sphæra & non actus cum actibus confundere Theologi est: actus fidei ad fidem, actus spei ad spem, ergo & actus charitatis ad charitatem pertinent. Amor concupiscentiæ secundum Philosophiam sanam ac saniorem Theologiam non nisi ad spem pertinet. Primo res pulchra visu oculis ac intellectui, ut incunda, ut amabilis, ut bona conspicitur: oritur amor, desiderium, concupiscentia rem visam aquirendi: media ad rei visæ possessionem examinantur: si possibilia sint, spes, si impossibilia desperatio oritur. En! delectatio, concupiscentia, desiderium sunt præambula spei, supponunt spem, incitant, disponunt, viam planant, sunt spei matrices foecundissimæ. Quid ultra? non hic

qui-

quiescat anima devota. Incipiat poenitens animus columnas proprii Herculis superare: spe fretus tendat ulterius: diligere supra se ipsum suum Deum incipiat, non proprium interesse solum, sed ipsa objecti infinite amabilis pulchritudo, ut in se talis est, moveat, incipiat prona voluntate supernis charismatibus adjuta actus charitatis Dei in se boni, in se perfecti, super omnia amabilis elicere, gradum gradui addat, donec ad illud possit pervenire fastigium, quod soli Deo notum, moveat promissa Dei, ut tandem gratia illa habitualis, ac charitas Divina infundatur, qua fiat sanctus, segregatus a peccatoribus, translatus ad filiorum cælestem sortem. Hæc nostra conversionis omnimodæ idæa, hoc exemplar in S. Litteris verbo & exemplo exhibitum, his numeris absolutum, non aliis credimus poenitentem, ut verbo singugula complectamur.

23.

Imo improbabilis videtur.

Imo urgere licet: unde scit Tournellius, quo fundamento nititur, ut in amore concupiscentiæ jam includi amorem Dei super omnia evincat? rationes physicæ probant contrarium (22): ex S. Scriptura fundamento destituitur (21): arbitrarie loqui in re tanti momenti non expedit (18): tutius amplectendum esse clamant damnatæ Pontificum propositiones, ut infra discutiemus: Ss. Patrum authoritas, eoipso, quod opinio contraria fuerit circa tempora Tridentini ante Salmanticæ Puerperium negative coeca (19), nulla est. Premi angustiis hypothesis contraria videri posset, nisi labantem erigat ipsa Ecclesia, At

Concilium Tridentinum nostræ opinioni suffragatur.

24.

Concilii Trid. assertio. Huc vela remosque vertere tenetur utraque ad securum portum opinio. Duæ sunt Sessiones, in quibus justificandi peccatoris partes, œconomia, totumque momentosum conversionis negotium explicatur. Altera est Sessio VI. altera Sessio XIV. in priori Caput VI. in posteriori Caput IV. huïc materiæ fixum ac dedicatum est. Oportet prius Caput VI. Sessionis VI. dein Caput IV. Sess. XIV. examinare. Operæ pretium est, ut ad accuratam simul & candidam rei dilucidationem caput illud ob oculos ponamus:

Cap. VI. *Modus Præparationis* ex Sess. VI. Conc. Trid.

„ Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati
„ Divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu conci-
„ pientes, libere moventur in Deum, credentes vera es-
„ se, quæ divinitus revelata & promissa sunt; atque illud
„ in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus,
„ per redemptionem, quæ est in Christo JEsu: & dum
„ peccatores se esse intelligentes, a Divinæ Justitiæ timo-
„ re, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei
„ misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fi-
„ dentes Deum sibi propter Christum propitium fore:
„ illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere in-
„ cipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per
„ odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam
„ Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: de-
„ nique, dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare

„ no-

„ novam vitam, & servare Divina mandata. De hac di-
„ spositione scriptum est, accedentem ad Deum oportet
„ credere, quia est, & quod requirentibus se, remunera-
„ tor sit. Hæc ad institutum nostrum sufficiunt.

25.

Jam circa hoc caput conveniunt omnes, agi quidem de dispositione ad Baptismum requisita in adultis, dum non solo originali sed & peccatis actualibus se sciunt contaminatos: in talibus eodem modo dolor cum Sacramento Baptismi est requisitum essentiale ad delenda peccata, ac alias is ipse cum Sacramento Pœnitentiæ requiritur, ut deleantur in lapso peccata post Baptismum contracta: proinde is ipsissimus dolor, qui tanquam necessaria & sufficiens dispositio in Baptismo præscribitur, is ipse inquam, etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ erit requisitum seu materia essentialis, ita, ut de uno sicut de altero ex paritate rationis argumentari liceat. Dolor perfectus cum voto Baptismi delet ante susceptionem peccata actualia cum originali: idem dolor perfectus delet peccata ante Pœnitentiæ Sacramentum: si uterque sit imperfectus, non delet nisi cum Sacramento illic originalia & actualia, hic actualia. En æquitatem rationis! *Circa quam, aliqua notanda sunt.*

26.

Ex hoc vero Concilii Trid. capite sequentia ad nostrum propositum in ordine ad justificandum peccatorem requiruntur. *1mo*. Disponi peccatorem ad justitiam per gratias transeuntes *excitantes & adjuvantes*. *2do*. *Fidem* esse fundamentum conversionis secundum illud: *Sine fide* *Quid inde deduci possit?*

impossibile est placere Deo. *3tio.* *Timore* utiliter *concuti*, quod bene notetur, non *perfici.* *4to.* In *spem* erigi. *5to.* *Incipiant*, quod pariter observatu dignum, Deum *diligere*, & quidem *6to.* Tanquam *omnis justitiæ fontem.* Hæc sunt capitis hujus corollaria adeo manifesta, ut a sensu litterali cogeremur recedere, si quidpiam in contrarium statuere præsumeremus.

27.

Non sufficit ex Concilio metus pœnarum.

Prona modo fluit opinionis nostræ consequentia: petimus in sententia nostra, ut præter timorem, seu formidinem illam ad peccatoris Justificationem aliquid requiratur: seu contendimus, timorem pœnarum non esse sufficientem materiam, aut motivum doloris (7): atqui id ipsum Concilium in capite cit. dicit, cum spem insuper exigat (24); ergo nostra opinio cum verbis Concilii coincidit, quibus tamen contraria hypothesis e diametro adversatur, stando in prima sententia solam attritionem sufficere asseverante (6): repugnat itaque directe Concilio prima attritionis formidolosæ sententia, quæ solo pænarum metu contenta hic gradum suum posse sistere & metam ponere dolorem requisitum contendit. Inde est, quod addat, timore fideles *utiliter concuti*, non *perfici*, bonum, salutarem, sanctum esse timorem fatur: at sufficere eum non exprimit, imo negat, cum ulteriores actus assignat.

28.

Etsi junctus concupiscentiæ sit.

Sed & altera opinio exigens delectationem concupiscentiæ (6) eodem telo configi potest: Concilium in hoc capite præter timorem spem exposcit (24), in spem justifican-

ficandum se erigere præcipit, ut ex verbis clarissimis patet: at præter spem ultra quidpiam, dilectionem nempe petit, ergo non est quiescendum simpliciter in 1mis his timoris & spei gradibus, sed ultro ponenda dilectio est, id Concilii Mens clarissimis verbis expressa contendit(24): atqui dilectio hæc non est amor concupiscentiæ, cum amor iste non addatur spei, sed spem ipsam præcedat, non sequatur, sed ejus dispositio sit ac præambulum (22); ergo non nisi de charitatis vel actu vel habitu intelligi potest: non de habitu, cum de dispositione ad gratiam sanctificantem, ad habitum charitatis infusum sit sermo: dispositio autem non est ipsa forma jam introducta, sed via ad illam introducendam, ergo actus charitatis, ergo amoris benevolentiæ aut amicitiæ actus ad spem accedere debent, actus nempe initiales, quorum quidam remissiores cum Baptismo, alii intensiores sine sacramento etiam per se ultimam ad expellendum peccatum, & introducendam a Deo gratiam ponunt dispositionem. Omnes actus isti charitatis toti in eo sunt, ut proximius ac proximius peccatum expellant, accidentaliter differentes, secundum intensius & remissius, magis ac magis, exterminium peccato minitentur, perfectius ille, minus perfecte alter ad ultimam dispositionem accedat, supplet Sacramentum cum gradibus remissioribus defectum gradus intensioris, ac in illo casu ultima dispositio ex sacramenti beneficio cum gradibus remissioribus ponitur, qui alias sine Sacramenti adminiculo remote tantum disponerent, ac minime ad expellendum peccatum sufficerent. Idque non minus de Pœnitentia quam ipso Baptismo intelligendum esse jam evicimus (25).

29.

Quod illustratur. Non desunt in omni materia similitudines: Nocti cuidam deterrimæ ac plusquam Ægyptiacæ statum compara peccatoris, amplecti lubeat veriorem illam sententiam, non in instanti sed successive propagari lucis particulas: jam primum corpusculum expugnare tenebras ac diem inducere adnititur: at quia tenue initiale quoddam lumen est, nequit tenebras ita expugnare, ut ipsa jam adsit clarissima meridies: interim hoc ipsum tenue antea lumen intensius exardescat, deveniat ad gradum summum intensissimumque, & habebitur clarissima meridies: sicut corpusculum illud remissius, ita charitas remissior conatur peccati tenebras expellere, sit dein lux illa intensissima ac charitas intensissima, aderit plena meridies, seu gratiæ & charitatis habitualis status. Corpuscula illa sunt causa modo remissius, modo perfectus agens; ita causæ sunt actus contritionis, & meridies illinc, hic gratia habitualis est exoptatus effectus. Porro ad corpusculum illud remissius luminis accedat adminiculum aliud lucis extrinsecum, supplebit id remissionem ac inefficaciam luminis: accedat ad gradus charitatis remissos Sacramentum, supplebit & hoc infirmitatem gradus remissi. En! quam bella sit hæc hypothesis ad explicandam justificationis œconomiam.

30.

Requiritur ex Concilio verus amor, seu Charitas. Huic vero Concilium ipsum suffragari facile ex illo adjuncto colligi poterit: *Diligere incipiant tanquam omnis justitiæ fontem: incipiant*, inquit Concilium; ergo initiales actus præscribit: quinam illi? *omnis justitiæ fons,* respondet Concilium: quid sibi fons? quid omnis? quid justitia?

nun-

nunquid origo sanctissima omnis in nos profluæ bonitatis? nunquid fons ille, qui in se uberrimus, justitiæ sacramentalis causa Principalis est? nunquid justitia hic non illa vindicativa sceleris pœnæ intenta, sed status ille Justitiæ, qua sancti & justi per charitatem efficimur, intelligi debet? consentit Cl. P. Suarez III. Parte Dist. IV. Sec. 8. ut & Tannerus Tom. IV. Disp. VI. q. 2. dub. 4. num. 74. quorum prior existimat *id neminem negaturum.* Addere ex Pallavicino Lib. VIII. Hist. Trid. Cap. XIII. & XIV. lubeat, adjecta hæc verba fuisse; quia Archi - Episcopus Turritanus, Claudius S. J., Lipomanus Veronensis adjutor & Pius Franciscanorum Præses admonuere, ut *aliquis Charitatis actus insereretur:* sed notum est Turritani sententiam fuisse, ut contritio perfecta ad Sacramentum necessaria definiretur; ergo non nisi actus charitatis intelligendus est, qui ad ejus ac aliorum instantiam decreto inserebatur, prout Pallavicinus Lib. VIII. Hist. Trid. Cap. 13. & 14. diserte testatur, viginti tres fuisse, quorum consilio ad minimum actus charitatis, si perfectam charitatem ponere non vellent, exigeretur ad dolorem necessarius, videturque id ex Can. 3. ejusdem Sessionis colligi posse, quo denifitum: *Siquis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* En! ad Pœnitentiam ad Justificationem denuo tres actus non solius fidei & spei, sed & charitatis exigit Concilium. Sunt, qui ex fine hujus capitis de *servandis Mandatis*, de charitate Concilium loqui probant, dum per servanda Mandata primum dilectionis Dei Mandatum tenendum esse admonet pœnitentes. At progrediamur ad

Alterum Caput IV. Seſſ. XIV.

31.

Caput IV. ſequentia docet. Aſſignantur a Concilio in præcedente Capite III. tres Partes Sacramenti Pœnitentiæ; contritio, confeſſio & ſatisfactio, omnes tres ex Dei inſtitutione requiri affirmat: Cap. vero ſubſequente ſeu IV. contritionem deſcribit: at quoniam fuſius eſt, ea ſolum, quæ ad rem noſtram ſunt, proferamus. 1. „*Contritio*, inquit, quæ pri„mum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi „dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum pro„poſito non peccandi de cætero. 2. Fuit autem quo„vis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic „contritionis motus neceſſarius: 3. Et in homine poſt „Baptiſmum lapſo, ita demum præparat ad remiſſionem „peccatorum: ſi cum ... voto præſtandi reliqua con„junctus ſit, quæ ad rite ſuſcipiendum hoc Sacramentum „requiruntur ... 4. docet præterea, etſi contritionem „hanc aliquando perfectam eſſe contingat, hominemque „Deo reconciliare, priuſquam actu Sacramentum ſuſcipia„tur ... 5. Illam vero contritionem imperfectam, quæ „attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati „conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu „communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi ex„cludat, cum ſpe veniæ: declarat, non ſolum non fa„cere hominem hypocritam ... verum & donum Dei „eſſe .... quo Pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam „parat. 6. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per „ſe ad Juſtificationem peccatorem perducere nequeat: „tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ „impetrandam diſponit. 7. Hoc enim timore utiliter

„ concussi Ninivitæ . . . plenam terroribus Pœnitentiam „ egerunt, & misericordiam a Deo impetrarunt. „ Et hæc sunt ipsissima Tridentini de Pœnitentia verba, ad quæ conformare Theoriam in hoc magno animæ negotio oportet.

32.

Ex his jam duplex argumentandi ratio nobis conceditur, una positiva, altera negativa per modum exceptionis: Rationes Positivæ, quas ex hoc capite deducimus, sunt sequentes: 1mo. In Cap. III. Concilium assignat contritionem; ergo istam retinere oportet ut Pœnitentiæ Sacramentalis partem: subsum: sed in nostra hypothesi exigente contritionem appretiative, non intensive summam, hæc ipsa servatur in terminis propriis; quin ad attritionem seu terminum improprium contritioni substitutum deflectere sit necesse; ergo nostra hypothesis proximius accedit ad verba expressa Concilii. 2do. Concilium videtur de contritione in adversariorum sensu perfecta loqui: cum quovis tempore (per consequens etiam in Veteri Testamento) eam necessariam fuisse dicat, eam nempe, quam in Cap. III. pro parte Sacramenti præscribit; ergo subintelligit non aliam nisi appretiative summam: sed huic pariter satisfacit amor initialis charitatis, utpote habens idem motivum ac intensissima aliqua. 3tio. Docet, illam ipsissimam contritionem esse partem Sacramenti, quæ poterit ex imperfecta aliquando perfecta esse: sed evidens est, nullam nisi contritionem initialem posse fieri perfectam; manet enim attritio essentialiter & perfecta attritio, quantumvis eandem intendas: econtra amor initialis potest fieri ex contritione imperfecta

Eruuntur rationes positivæ pro charitate.

fecta perfecta contritio; ergo nostra hypothesis evidenter accedit proximius ad verba & sensum litteralem ipsius Concilii. 4to. Eadem contritio juxta Concilium potest esse perfecta & imperfecta; ergo tantum accidentaliter diversa; cum perfectum & imperfectum, puer & vir, aurora & meridies, non specie seu essentialiter discriminentur: atqui in nostra hypothesi sunt tantum accidentaliter diversa charitas nempe initialis & consummata, tantum variant in majori vel minori intensione, non faciunt statum peccatoris nisi accidentaliter diversum; quatenus una proximius altera remotius expugnat, ac eliminare conatur peccatum: porro etiam idem prorsus objectum Dei in se boni appreviative summi habent: econtra attritio & contritio, specie ob diversa motiva in adversariorum sententia differunt: etiam amor concupiscentiæ & benevolentiæ habent aliam & aliam objecti formalis rationem, alia ratio in metu pœnæ, alia in bono ut in se considerato apparet; ergo cum nos contritionem tantum accidentaliter diversam a contritione perfecta pro materia assignamus, etiam accuratius manendo in termino perfecto & imperfecto accedimus ad mentem Tridentini. 5to. Nihil aliud Concilium videtur definire laudando attritionem ex turpitudine peccati, aut pœnæ metu conceptam, quam illam non facere hominem peccatorem, & hypocritam: atqui tantum abest, quod hoc cum Luthero negare audeamus; quin & sanctissime contra hunc Pseudo-Doctorem id definitum mente & ore subscribamus. At eoipso nil inferri contra nos posse convincimur, cum hic nil Concilium statuere pro Pœnitentiæ Sacramenti parte, sed solum in id fuisse intentum persuademur, ut errorem Lutheri efficacius detestetur. 6to.

Id ex ipsis denuo verbis perspicuum est, quibus Concilium innuit non nisi *parari* peccatorem ad justitiam per pœnæ timorem, quod dici non posset, si hanc Sacramenti partem vellet, qua utique non *pararetur*, sed *perficeretur* in sua conversione peccator. 7mo. Discrimen illud ponit Concilium, quod inter *disponere* & *perficere* intercedit: disponere ad justitiam etiam in Sacramento affirmat utique Tridentinum, etiam nos remotius extra, proximius intra Sacramentum disponere timorem arbitramur: sed quod perficiat cum Sacramento, imo, quod vel tantum sufficiat, eo minus concludi posse nobis certum est, ac immutatum prius decretum fuisse Pallavicinus testatur, ut Concilium loco *sufficere*, quod priori decreto inseruerat, posteriori ly *disponere* inseri fecerit. Ergo vel Concilium noluit, ut ista opinio de sufficientia locum habeat, vel definire nil voluit, sed scholæ opinionibus relinquere, quod sufficere nobis infra videbimus, dum Innoc. XI. decretum in hac re decisorium producemus. 8vo. Tandem exemplum Ninivitarum a Concilio adductum manifeste non nisi timore *concuti*, disponi, non *perfici* peccatores supponit; cum subsecutam deinde Pœnitentiam, minime vero in solo timore quievisse commemoret.

33.

Nec minorem videntur habere vim Argumenta negativa, seu exceptio illorum præjudiciorum, quam adversanti hypothesi opponimus. Deducunt ipsi ex capite III. Concilium inter pœnitentiæ partes exigere contritionem, abstrahendo a quo demum motivo oriatur, dummodo affectum peccandi excludat; ergo cum attritio sit *Ut & negativa.*

contritio quædam imperfecta juxta ipsum Concilium, non est ratio, cur una potius, quam altera intelligatur. *2do.* Concilium definiendo contritionem non inseruit aliquem actum amoris, ergo a sensu litterali recedit, qui plus cupit: imo ex hoc ipso concludunt Theologi, non requiri actum explicitum charitatis ad contritionem perfectam. *3tio.* Aliam esse attritionis efficaciam dicit Concilium extra, aliam intra sacramentum: atqui id nequit intelligi, quod sit bona & salutaris intra sacramentum, non vero extra illud; ergo evidenter intelligitur, quod attritio non extra sacramentum bene vero in sacramento sufficiat. Major propositio ex numero (31. 6.) liquet: minor vero ex eo probatur, quod universim omnis attritio, dummodo serviliter servilis non sit, affectum ad peccatum excludat (2); ergo eo ipso jam bona est & salutaris. (31. 6. & 7.)

34.

Respondetur negativis argumentis.

Ut ad singula accurate respondeamus, etiam singulæ objectioni sua responsa ac difficultates opponimus: primæ objectionis antecedens duas habet partes: 1ma, contritionem præscribi a Trid. non attendendo ad motivum: 2da, petere Concilium, ut talis sit attritio, quæ affectum peccati excludat: Jam negamus rotunde antecedentis primam partem; etsi enim explicite motivum non apponat Concilium in Cap. III. ex quo elici debeat; attamen sufficienter per contextus declarat, se non nisi contritionem illam intelligere, ut nostris ex positivis rationibus (32) liquet, quæ quidem perfecta in adversa opinione, nobis, si satis intensa non sit, imperfecta audiat. Quod vero affectum peccati excludat attritio formidolosa, etsi id reapse præstet, quid sequatur, non satis penetramus. Nam aliud actu non pecca-

tum

tum committere, aliud ipsum reatum delere; aliud per quempiam actum ita esse dispositum, ut actu affectum ad ipsum peccatum non nutriat, aliud ipsam jam maculam per peccatum contractam esse deletam, ac amicitiam inter Deum & peccatorem esse redintegratam. Concedimus utique timore perterritum, imo si & naturalis sit, actu nullum sentire ad peccatum affectum, at eo ipso etiam culpam deleri non colligimus: etiam extra sacramentum timore pænæ concussus non habet ad peccata affectum: at per hunc jam omnem culpam inde deleri nec adversarii credunt. Attritio est contritio quædam imperfecta: id fatemur, si omne id, quod non est perfectum dicas esse imperfectum. Timor ex metu naturali pœnæ etiam temporalis ab homine infligendæ est aliquid imperfectum seu animi dolor ac detestatio cum proposito &c. ergo ad delenda peccata sufficiens? ergo compars sacramenti? dum ægre illa sententia est admittenda, si timor sit ex pæna tantum temporali ut a Deo infligenda conceptus. Non ergo sequi existimamus: timor non habet affectum ad peccatum, imo excludit, ergo est materia seu compars Sacramenti. Quod vero Concilium, ut 2dæ objectioni faciamus satis, non inserere voluerit definitioni dolorem explicitum: quid tum? etiam non inseruit motivum timoris & concupiscentiæ, non tamen sequi dicent adversarii, nec motivum pænæ ad attritionem necessarium esse. Studio ac consulte abstinuisse videtur, cum ibi contritionem in genere, quocunque demum ex motivo eliciatur, definiat. Quantum ad Theologos: ipsi cum Mastrio nostro sentimus, posse contritionem in casu necessitatis, in temporis angustia ita esse instantaneam, ut vel unicus ex ejus actibus (4) explicite, cæteri implicite eliciantur, sicut id-

ipsum

ipſum de attritione fatebuntur adverlarii: erit tunc amor intenſive implicite maximus, ſi ſit perfecta contritio, vel initialiter talis, ſi imperfecta ſit. En! nil objici poterit, quod vel non explicari, vel poterit in adverſam hypotheſin retorqueri. In tertio maximum eſſe difficultatis nodum, libenter fatemur: non ſumus ex iis, qui plus verbis quam ratione, ſibilare potius quam ſolvere fortiſſima ſoleamus argumenta: attamen conformiter fundamentis noſtris reponimus, attritionem in ſacramento plus, quam ſine illo operari, poximius accedere ad ſtatum gratiæ per illam peccatorem cum ſacramento credimus, dummodo ibi pedem non ſiſtat; ſecus ſacrilegii, ſi malitioſe non aliam ſine neceſſitate, niſi dubiam materiam poneret, reus foret. Certe ſi Concilium aliam efficaciam attritioni in ſacramento quam extra illud tribueret, atque aliud vellet, quam, quod remotius extra, proximius intra attritio diſponat, neſcimus, qua ratione ly *ſufficeret* deleviſſet, ac ejus loco *diſponere* appoſuiſſet, niſi re maturius trutinata ejusdem nobiſcum mentis ac opinionis fuiſſet.

35.

Contritio ſtabilitur. Hæc itaque de attritionis formidoloſæ efficacia noſtra opinio eſt: concedimus illam hominem ad veram pænitentiam præparare, etiam in gradu quodam remotiori ad ſalutare converſionis opus diſponere: at ex eo minime inferimus, hanc ipſam jam eſſe proximam illam diſpoſitionem, qua poſita ſacramentalem gratiam Deus conferat pænitenti. Fatemur 2do: illam actu nullum ad peccata affectum nutrire poſſe, ſicut qui actu credit, actu ſperat, actu eleemoſinas largitur, non affectum nutrit per ejuſmodi actus ſalutares: at ſicut ſola fides, ſola ſpes non

exinde

exinde peccatum contractum delet, ita nec delere attritionem arbitramur: alias attritio extra sacramentum jam maculam ablueret, cum etiam tunc sine affectu ad peccatum esse possit: ratio petitur ex oppositionis defectu; timor enim non peccato, sed pœnæ opponitur, non pugnat cum culpa, sed pugnat cum poena culpæ infligenda, non directe peccatum, sed pœnam refugit; oportet ut talia adhibeat remedia sanitatis peccator, quæ & directe expugnent amorem creaturis adglutinatum, quod sine translatione amoris in objectum Divinum non fiet. Fatemur tandem tertio: etiamsi timori huic jungatur concupiscentiæ amor, nondum haberi directam oppositionem peccati: sicut omne pecatum est contra legem, implicitum Dei odium, violatio primi & maximi Mandati: *Diliges Dominum Deum Tuum*, ita & oppositio directa non est nisi odii oppositio, nisi impletio hujus Mandati, nisi legis redintegratio, nempe amor: amor inquam in adversante opinione ob motivum appretiative summum perfectus, nobis si initialis sit im - si consummatus, intensus, perfectus audit.

36.

Requirimus ergo ad sufficientiam amorem Dei appretiativum, seu charitatem Dei, non nobis, sed ut est in se bonum summum, delectabile super omnia: non quidem in gradu aliquo intenso supremo, sed remisso quodam ac languidiori, seu imperfecto: & hæc contritio re & omine in proprietate sistendo est Charitas quædam imperfecta, initialis, non perfecta ac consummata. Conformari nostram hypothesin quotidianæ praxi conspicimus; ferme nullus fidelium, etiamsi a pueritia incipias, *Contritio stabilitur.*

alium confitens dolorem elicit, nisi sub terminis illis appretiativis: Nicht nur weil ich die Höll verdient hab, sondern weil ich GOtt als das höchste Gut beleydiget: jam vero, cum in adversante opinione actus etiam remisissimus, dummodo ex motivo vel appretiative summo, vel quia illud bonum in se tale est, eliciatur, contritio perfecta audit (4), sequitur, nullam fieri, vel inter mille vix unam Confessionem, in qua contritio perfecta non inveniatur: at quam a mente Tridentini, a sensu nostro intimo, ab omni adeo veritate id abludat, patet ex ipsissimis Tridentini verbis: *etsi contritionem aliquando perfectam esse contingat:* & Sess. XIII. Cap. VII. *nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi CONTRITUS videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad Eucharistiam accedere debet.* Ergo evidenter supponit Concilium, dari contritionem imperfectam, etiamsi quis ex motivo appretiativo se sciat dolere: evidenter supponit non levis sed gravissimi momenti esse, contritionem perfectam: certi sane scientia physica essemus, nos habere in sententia contraria contritionem perfectam, ea certitudine, qua scire possumus, nos hoc vel illud cogitare; ergo certi essemus, nos propter hoc vel illud motivum dolere; ergo si actus remisissimus esset vera contritio, nunquam daretur vel vix in praxi attritio, nunquam proinde efficaciæ Sacramenti effectus adscriberetur, frustranea cura Concilium Tridentinum sollicite præscriberet Confessionem, si facilis adeo foret, ac posset perfecta contritio elici, irrideri Catechismus Trid. mereretur, qui paucos admodum ad *hunc gradum* pervenire, inde *vehementem acrem* ac *incensum* esse oportere

tere

tere contendit, Quæst. 32. p. II. cap. V. Ab intimo pariter sensu abludit, cum sollicitos adeo de vera contritione nos sentiamus, an ad illud fastigium possimus pertingere, dum in contraria hypothesi omnis sollicitudo ob certitudinem physicam evanesceret.

37. 40.

Tantum itaque perpensis his fundamentis nisi nos fallamus, solidioribus, absit, ut attritionem vel a Concilio Trident. definitam, vel etiam menti illorum Patrum conformem esse, persuadeamur, ut contrarium potius, imo moraliter certa altera opinio dici possit, utpote S. Scripturæ & singulis Trid. Capitibus, ubi de Justificatione agitur, adeo conformis, ut singula vix non verba solide, plane, ac sensu proprio explicentur: sed explorandus modo ultimus locus Theologicus, seu *Concluditur.*

Ratio Theologica.

38.

Non fusiore calamo harum multitudinem juvabit agglomerare, dabimus eas, quas nostrum firmare argumentum credimus, breviter, postea objectionibus faciemus satis: interim non negamus, plures ex iis jam in decursu tactas fuisse, quas hic proinde cum aliis in compendio proponemus. *Ex Ratione Thesis evincitur.*

I.

Datur primum & maximum mandatum: diliges Dominum Deum tuum &c. ergo debet observari, & obligabit, si occasio sit opportuna, & periculum grave: atqui

qui periculo gravi expositus est peccator; cum contritio perfecta sit difficillima (36); occasio vero non est opportunior, quam dum per confessionem Deo reconciliari cupit, ergo oportet, ut tunc per charitatem illud observet.

II.

Si cum inimico in gratiam redimus, non sufficit deponere odium: nunquid enim & Etnici hoc faciunt? sed amare inimicum, dum cum eo reconciliari cupimus, tenemur; ergo & amore amicitiam cum Deo inire expedit, etiam in ipsa Sacramentali reconciliatione.

III.

Delictum debet recompensari: sed delictum in gravi peccato fit per violationem Mandati Primi & Maximi *diliges*. Ergo ut sit recompensatio, dilectione id fieri debet. Sicut enim subditus inobediens per obedientiam; ita & violans Mandatum dilectionis per dilectionem recompensare injuriam debet.

IV.

Puer si ad solidam rationem pervenit, tenetur amore se conferre in Deum: quanto magis, qui a Deo propria voluntate recessit, ab ultimo fine se submovit, & creatorem creaturis postposuit, inquit Contensonius L. 11. Diss. un. c. 2.

V.

Sequeretur in adversa opinione, hominem posse salvari sine ullo charitatis actu per totam vitam exercito; co-

eoquod per attritionem cum Sacramento justificetur: Quod est conforme propositionibus damnatis (11).

VI.

Ex inimicis amicos nos fieri jubet Trident. Ss. VI. Cap. VII. Ergo per amorem amicitiæ; amicitia enim est forma hujus concreti.

VII.

Si quis attritione munitus, studio amare Deum non vellet, ut in se bonus est, peccaret; ergo signum est, nondum requisita essentialia posuisse.

VIII.

Ex attrito quis potest fieri contritus (axioma): sed hoc explicari nequit in contraria hypothesi. *1mo.* Quia attritio secundum illam opinionem specie differt a contritione ob diversa motiva; sed una species aliam generare non potest. *2do.* Eoipso nunquam peccator teneretur primum Mandatum charitatis implere, cum jam esset contritus per attritionem cum sacramento.

IX.

Per mandatum dilectionis amor spei in 2da sententia (1. 6.); ergo & per idem mandatum charitas, sicut ille in sacramento, ita & hæc præcipitur cum ipso sacramento.

X.

Amorem initialem spei requirunt adversarii; ergo amorem imperfectum concupiscentiæ: at quis ille? quod etiam in spe imperfectus dicatur sufficere? en laxam sequelam!

 XI.

XI.

Si urgeat præceptum charitatis semper sed non pro semper, cur illud tempus excipiatur, quo per pœnitentiæ sacramentum reconciliari cum Deo nititur peccator? at nil est rationi conforme, cujus nulla est ratio: ergo dicendum, tunc, si confitemur, urgere præceptum.

XII.

Spiritus Divinus debet peccatorem accendere, ut salutariter timeat Ss. XIV. Cap. IV. fac, quæ tua sunt Ss. VI. c. XI. & ad ipsam charitatem inflammabit. Quid si ad charitatem accendat? ergone resistere his Ss. impulsibus impune liceat? neutiquam: væ enim! qui Spiritui S. resistunt.

XIII.

Pœnitentiæ Sacramentum continet ut inclusum ipsam virtutem pœnitentiæ (cum hæc sit ad Sacramentum sicut contractus e. g. matrimonialis elevata), sed virtus pœnitentiæ in hoc præcipue nititur, ut sicut facta est conversio ad bonum commutabile, ita requiratur conversio ad bonum incommutabile, alias non haberetur compensatio perfecta; ergo quia ipsa Virtus hæc elevata est, etiam in sacramento requiritur conversio ad bonum incommutabile. Subsumimus: sed bonum incommutabile non potest sumi respectu nostrum; quis enim creatos terminos non sæpe mutari, seu aliter & aliter terminare Divinam Misericordiam negabit? ergo absolute sumi debet, seu ut Deus in se talis est. Legatur D. Thomas III. Part. Q. LXXXVI. art. 2. Id confirmari alia ratione potest: ipsa virtus pœnitentiæ in V.T. usualis, fuit ad Sacramentum ele-

elevata: atqui illa non fuit nisi contritio; si debuerant justificari; cum sacramento fuerint destituti; ergo etiam modo illa manet, sicut manet poenitentiæ virtus.

XIV.

Amor a creatura auferri nequit, nisi per oppositum amorem erga Creatorem. Ergo ut ad Creatorem te convertas, amor requiritur: seu nimius amor ad bona increata non tollitur nisi amore nimio in bonum increatum: contrarium enim contrario curari debet.

XV.

Ebrius, incastus, injustus, ut se emendet, virtutes temperantiæ, continentiæ, justitiæ amplecti debet; ergo & peccans contra amoris Præceptum, charitatis virtutem amplecti debet.

XVI.

Si vis amari: ama! (axioma); ergo si diligentes Deus diligat per charitatem, charitate prævia ac disponente illum ciere oportet, secundum illud: *Fili! præbe mihi cor tuum.* At cor, quomodo nisi benevolentiæ amore dabit? cum concupiscentia cor sibi, ut sibi bonum retineat.

XVII.

Argumenta extrinseca pro nostra hypothesi citari innumera possunt. Concina citat ante Trid. numero 56. post Tridentinum memorat 19, quorum plerique Episcopi, & Assessores fuerant Concil. Trident. Theologos etiam Concilio præsentes ac hujus sententiæ Patronos citat ex diversis Ss. Ordinibus 44. qui ad annum usque

1600.

1600. scripsere, conformiter Suarezii testimonio (19): ad nostra usque tempora numerat 16. ultima ætate 39. Cardinales 9. cum Subscriptione Cleri gallicani, vix non universi.

XVIII.

Ex authoritate nostræ scholæ confirmatur.

Ex Ordine nostro Subtilioris scholæ plures a P. Pisport citantur: in Scoto vestigia sunt satis clara in 4. Dist. 20. q. un. ubi Pœnitentiam, ut satis sit *circumstantionata*, in Deum per *charitatem* tendere debere ait. In S. Bonaventura 3. Dist. 34. q. 1 n. 59. attritio non in ipso *habitu* & *radice* sed tantum in actu excludere voluntatem peccandi reperitur, conformiter dictis (34): assignatur Hygæus, Pontius, Boscus, Alphonsus a Castro & M. Alexander de Ales &c. quæ authoritates sententiam nostram evidenter probabilem scholæ non solum nostræ, sed & iis, qui se solos sapere non sentiunt, efficit. En! rationes in- & extrinsece probabiles, si nulla sit, quæ moralem certitudem evincat, seu quæ nullum in intellectu prudens dubium relinquat.

39.

Atque argumento reflexo concluditur.

Has vero rationes argumento quodam reflexo comitari juvat: Propositio damnata Innocentii XI. sonat: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, &c.* jam evidens est, nostram hypothesin esse probabilem; nisi adeo productis tot momentis coecutiamus, ut omnis ingenii acies tabescat: concedimus, etiam oppositam opinionem, si non ex rationibus intrinsecis, certe extrinsecis esse probabilem, ut Patris Gormaz citantis 160. Authores intactum suum Catalogum relinquamus, non obstante,

te, quod P. Pisport ipsi aliquot eripiat, suo vero catalago 300. adnumeret: attamen, quia nostra opinio est tutior (5); quidquid de majori securitate Salmanticenses oppositum tenendo sibi spondeant, colligitur, vi propositionis damnatæ aliam tuto sententiam in praxi observari non posse. Certe non capimus, quomodo aliqui Doctores tutiorem contrariam possint venditare; dum in praxi fideles ad ipsam contritionem accendere student. Prohibenda esset hæc praxis, si contraria tutior ac foret securior.

~~37.~~ 40.

Solvuntur objecta.

I.

Si eadem quæ in V. T. charitas ad delenda peccata requireretur, non esset suavius in N. T. jugum; at hoc abhorret ab ipso nomine status gratiæ. Ergo. resp. 1. Nos non capere, quod aliqui velint rigorem ex eo deducere; si charitatis præceptum cordibus insinuatur. Ipsa jam charitas innuit suavitatem. Resp. 2. Ea, quæ juris naturalis sunt, nunquam fuerunt immutata: diligere Deum juris naturalis est (Ethica), Cæremonialia & Judicialia, illa fuit severitas legum antiquarum, quæ per suavissimum statum gratiæ cessaverunt. Resp. 3. Nos non expetere charitatem perfectam (5), quæ utique in V. T. sacramentis destituto fuerat necessaria, sed initialem duntaxat requirimus cum sacramento; ergo jam est differentia. Resp. 4. Retorquendo: cum extra sacramentum eandem necessariam esse ac antiquitus contritionem fateri debent, non obstante status differentia. *Objectionibus respondetur.*

II.

Si ex S. Scriptura thesis probatur, nunquam imperfecta sed perfecta charitas cum sacramento requireretur, ergo quia illi textus (16. 17.) nimium probant, nihil evincunt. Resp. dist. ant. si simul gradus a S. Script. determinaretur, conc. si tantum substantia determinetur, ea vero, quæ accidentalia duntaxat sunt, Ecclesiæ relinquantur, neg. (18.)

III.

Contritio perfecta ab imperfecta essentialiter differt; ergo, quia in nostra hypothesi tantum est accidentalis differentia (28. 29.), non potest contritio imperfecta per amorem initialem & perfecta per amorem consummatum explicari. Prob. ant. Status gratiæ essentialiter differt a statu peccati, non enim se habent, ut magis & minus Justus, seu non sunt, sicut gratia & ejus augmentum: atqui per contritionem perfectam habetur status gratiæ, per imperfectam status peccati; ergo intercedit essentialis differentia. Resp. neg. ant. prob. conc. major. at min. dist. dispositive, conc. effective, neg. tam initialis quam perfectus amor expellit peccatum, ille initialiter, hic ultimam dispositionem ponendo, ut peccatum recedat: utraque ad exterminium peccati intenta est; ergo differentia est tantum accidentalis: at, quando Deus hac posita dispositione ultima gratiam sacramentalem, aut charitatem habitualem in anima producit; tunc primum status iste in facto esse essentialiter differt tanquam per propriam formam a statu peccati.

IV.

Amor consummatus seu perfectus est effectus gratiæ habitualis; ergo hæc pro instanti naturæ præsupponitur. Resp. dist. ant. amor consummatus seu perfectus in fieri, neg in facto esse, conc. vel si amor procedit a subjecto gratia habituali insignito, conc. si procedit a subjecto primum se ad gratiam habitualem disponente, neg. pulchre Mastrius ad rem nostram præter habitus infusos fidei spei & charitatis admittit habitus fidei spei & charitatis aquisitos: & in proposito actus isti charitatis vel procedunt ab habitu pœnitentiæ, vel a voluntate supernis auxiliis transeuntibus adjuta: ac si intensi sint, extra sacramentum, intra Sacramentum, si remissi etiam sint, erunt ultima dispositio ad gratiam. Id ergo bene notandum rogitamus, ut dum contritionis actus requirimus, illi non ex ipsa charitate habituali proficisci existimentur. Dantur enim duplicis generis actus charitatis appretiativæ, aliqui eliciuntur, ad dispositionem ultimam ponendam secuturæ charitatis seu gratiæ habitualis, & hi principium suum habent in voluntate & gratia actuali: alii vero post infusam jam charitatem habitualem eliciuntur, & horum principium est voluntas, non cum gratia actuali sed habituali.

V.

Ex hac opinione nemo certus de sua contritione foret; cum gradus intensionis sciri non possint, nec creatura soleat ad individuum determinare. Resp. Nos fateri, neminem scire, an dignus amore, an odio sit: at eo ipso firmari nostram opinionem arbitramur, cum conformis S. Script, sit. Eccl.9.v.1. Id scimus: facienti quod est in se, gra-

 tiam

tiam non denegari: nec facilis esse cognitionis perfectam contritionem ex Trid. clare liquet (36): suspecta est adversantis sententiæ contritio extra sacramentum, si facillimæ sit cognitionis. Intra sacramentum non requiritur intensio; inde & ejus cognitio tam facilis nobis in sacramento, ac est in adversante sententia extra sacramentum, utpote quacum coincidit.

VI.

Contritio etiam initialis ex amore appretiativo & objecto in se dilecto profecta pugnat cum omni & quolibet peccato; ergo non est ulla contritio etiam remisissima, quæ statum gratiæ non producet: subsum: sed hac ratione nulla esset Sacramenti efficacia; ergo hæc non est necessaria cum Sacramento. Resp. dist. ant. pugnat affective, conc. jam delet ipsum effective reatum, neg. vel pugnat proxime & proximius, conc. semper ultimam dispositionem ponendo, neg. cæterum tolli potius efficaciam Sacramenti in adversa opinione ex praxi demonstravimus (36).

VII.

S. Scriptura non facit distinctionem inter esse intensum & remissum, sed absolute cuivis charitati tribuit remissionem peccati per ipsissimos textus a nobis citatos (15); ergo nec nos distinctionem inter gradus facere debemus: Resp. S. Scripturam non solum charitati in genere, sed & fidei, Rom. cap. 3. ac spei, cap. 8. timori, Eccl. 1. justificationem adscribit; ergone nil aliud requiri dicatur? ergo fides sola peccatorem justificat? ergo timor etiam serviliter servilis talis est, qui justos nos facit;

cit; eoquod timori in genere adſcribatur juſtificatio? abſit. Ergo loca locis, textus textibus ſunt comparandi, & ſufficienter apparebit, non quamvis, ſed intenſam, efficacem, conſtantem eſſe debere, ut juſtificet.

VIII.

Attritio diſponit aliter extra, aliter in Sacramento (28.) ergo extra remote, intra proxime diſponet ad gratiam: ſed poſita proxima ſeu ultima diſpoſitione ponitur forma; ergo tunc ſine ulteriori amore jam ſtatus gratiæ habetur. Reſp. conc. ant. neg. conſ. Nam datur inter remote & proxime comparativus ſeu medium, ut prope, proximius, proxime; hinc extra Sacramentum remote, proximius in Sacramento diſponit attritio: at ſola contritio actum ultimum ſeu proximam ponit diſpoſitionem.

IX.

Attritio talis a Concilio requiritur, quæ voluntatem peccandi excludat (31): atqui dum adeſt peccati excluſio, eoipſo jam habetur ad Deum converſio; ergo ſufficit ipſa attritio. Reſp. retorq. id præſtat etiam extra Sacramentum attritio; ergo & tunc ſufficeret. Reſp. 2. diſt. major. quæ poſitive id eſt per oppoſitionem impugnationem excludit, conc. negative, ſicut, dum dormio, non habeo ad peccandum affectum neg. tota ſolutionis ratio habetur n. (35).

40.

Hæc cum ita ſe habeant: neſcimus, quid adeo in hac materia grave aut conſcientiis oneroſum fuerit viſum, *Concluſio univerſal.*

ut per aliqua ſæcula fere improbabilis plus ex præjudiciis vel neglecta Tridentini Hiſtoria facta fuerit noſtra opinio, quam defendendam ſuſcepimus, quam ex ſolida aliqua ratione intrinſeca: an gravius ac difficilius arbitremur, noſtris piis affectibus hoc potius quam aliud præfigere motivum? nunquid animarum quieti conſultius, id agere, quod in praxi tutiſſimum, ac intimo ſenſui eſt conforme? dignetur adverſa ſententia vel vulgarem tantum agendi modum in Principis cum ſubdito reconciliatione apud animum revolvere, & palpabit, quam modicam vim haberet ſubditi deprecatio, quæ ideo intimis ſenſibus ac dolore afficeretur, quod ſibi nocuerit, ſibi damnum intulerit: vix non ut larvatam ac fictam talem offenſæ retractationem princeps exciperet. Et hæc de materia adeo neceſſaria pro modulo noſtro dicta ſufficiant, plura & enucleatius dicturi, ſi vel media, vel diſtractionum neceſſitas nil iſtis curis interponerent.

O. A. M. D. G. & B. V. M.

PARERGÆ.

1. *Sacramenta sunt signa practica gratiæ, non mera singnacula.* 2. *Omnia Christus determinavit in specie.* 3. *Numero sunt 7.* 4. *Intentio faciendi quod facit Ecclesia seu Christus, requiritur.* 5. *Fides valori in Ministro non obest.* 6. *Baptismus non fuit in Jordane institutus.* 7. *Necessarius est necessitate medii.* 8. *Tam latina, quam forma Græcorum deprecatoria valet.* 9. *Probabile est, Apostolos baptizasse in Nomine Christi.* 10. *Sacramentum Baptismi potest esse validum & informe.* 11. *Stephanus non erravit circa Baptismum, bene vero Cyprianus & Firmil.* 12. *Licitum subjectum sunt parvuli infidelium Parentum licet invitorum.* 13. *Confirmationis materia est manuum impositio & chrismatio.* 14. *Minister est Episcopus essentialiter;* 15. *Simplici tamen Sacerdoti potest confirmandi munus committi.* 16. *Videtur sub gravi peccato obligare.* 17. *Eucaristiæ materia est Panis & Vinum.* 18. *Christus consecravit in azimis.* 19. *Existit sub speciebus realiter præsens.* 20. *Non per impanationem, sed* 21. *transubstantiationem adductivam.* 22. *Verba essentialia in consecratione sunt: hoc est Corpus meum: hic est calix Sanguinis mei.* 23. *Communio sub utraque specie non cadit sub præcepto.* 24. *Missa est verum N. L. sacrificium.* 25. *Minister est solus Sacerdos.* 26. *Essentia sacrificii consistit in oblatione & sumptione.* 27. *Falsum, omnes fideles baptizatos esse Sacerdotes.* 28. *Stipendium & antiquitate & æquitate probatur.* 29. *Pœnitentiæ virtus primario respicit sceleris vindictam.* 30. *Non est tantum dispositio, sed verum Sacramentum a Christo institutum.* 31. *Contritio non attritio formidolosa est pars essentialis:* 32. *oportet ut*

adsit

adsit amor benevolentiæ non concupiscentiæ. 33. *Confessio auricularis semper fuit in usu, ac* 34. *a Christo Domino est instituta.* 35. *Tenemur circumstantias aggravantes explicare.* 36. *Ut & peccata dubia.* 37. *Absolutio si pure ministerialiter fieret, nulla foret.* 38. *Pœnitens à culpa & pœna æterna,* 39. *non temporali absolvitur.* 40. *Casuum reservatio etiam ab ignorante incurritur.* 41. *Datur in Ecclesia potestas concedendi indulgentias,* 42. *non est frustranea,* 43. *requirit tamen ad valorem gravem causam.* 44. *Extremæ unctionis effectus primarius non est sublevatio ægroti; Sed* 45. *remissio peccatorum venialium.* 46. *Datur Hierarchia cum potestativa personarum distinctione.* 47. *Episcopi sunt jure Divino superiores presbyteris.* 48. *Jurisdictionem immediate habent a Deo.* 49. *Ordo est verum Sacramentum.* 50. *Materia essentialis est manuum impositio.* 51. *Subdiaconatus non est Sacramentum,* 52. *bene vero Episcopatus.* 53. *Sponsalia metu inita jure naturæ nulla sunt.* 54. *Minister Matrimonii est Sacerdos, ac forma ejus verba:* 55. *Matrimonium ratum solvitur per professionem Religiosam,* 56. *ut & per dispensationem Pontificis.* 57. *Etsi consummatum de jure naturali stricte tali non sit indissolubile;* 58. *attamen ratio solvendi sufficiens non est fornicationis causa.* 59. *Polygamia fuit aliquando licita.* 60. *Datur potestas ponendi impedimenta, ut & in iis dispensandi.*

TRACTATUS
DE
HOMINE THEOLOGICE CONSIDERATO,
EJUS
INITIO, FINE, ET MEDIIS,
SEU
DE OPERE SEX DIERUM, BEATITUDINE, ET ACTIBUS HUMANIS,
PER
POSITIONES THEOLOGICAS, DOGMATICAS, MORALES, HISTORICAS METHODICE DEDUCTUS,
AC UNA CUM PARERGIS
EX UNIVERSA THEOLOGIA
PUBLICÆ DISPUTATIONI EXPOSITUS,

PRÆSIDE

P. F. GEROLDO JOST DE WERTENSTENIO,

DEFENDENTE

P. JOANNE BAPTISTA ZELLER DE RATISBONA,

In Conventu FF. Minor. S. FRANCISCI Conventualium ad S. Crucem Wirceburgi,

Mense Die horis 8va ante & media 2da post meridiem.

WIRCEBURGI,

Typis Viduæ Joannis Jacobi Christophori Kleyer, Univ. Typographi.
Per Wolffgang. Christoph. Kohles, p. t. Factor. Anno 1758.

REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI, PERQUAM GRATIOSO, AMPLISSIMO DOMINO DOMINO

PLACIDO,

ANTIQUISSIMI AC CELEBERRIMI ASCETERII AD

B. V. MARIAM

ET

S. MARTINUM

SANCTISSIMI ORDINIS DIVI PATRIARCHÆ BENEDICTI

ABBATI

VIGILANTISSIMO, DOMINO DOMINO

MAECENATI

PERQUAM GRATIOSO.

REVERENDISSIME PRAESUL! MAECENAS PERQUAM GRATIOSE!

T*Acitus Magnes erat, quo trahebar, ut præsentes offerre paginas* TUIS *sacratis Manibus præsumpserim* REVERENDISSIME PRAESUL, MAECENAS PERQUAM-GRATIOSE! *Hic, cum eodem conceptus sit Patriæ solo, ac* Gratiosa TUA Propensione *incrementa acceperit, debuit clientis infimi gratitudine consummari, ut Immensis gratiis recognitionis tessera*

respon-

respondéret. Polum inde Patrium in TE *respicit, quem jugi obtutu affectibus intimis studet revereri. Addidit præterea animum* Cornu-Copiæ, *quo* TUUM *Insigne conspicuum eos depromit flosculos, qui* odorem suavitatis *spirant, ut omnis inde Timor evanesceret. Tandem ipsa Materiæ Dignitas HOMINEM THEOLOGICUM, non pictum duntaxat, sed vivis coloribus expressum satagebat. En! hæc est integra,* MAECENAS PERILLUSTRIS! *confidentiæ ratio.*

Enimvero habet Patria, ut, etsi ad immemores Progenitores sit reflexa; suis tamen cunis in seris etiam Posteris delectetur, ac miris nexibus illi trabantur, quibus idem solum tribuit Felix Nativitas. Unde Ovidius:

Nescio, qua Natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Sine numero forem, si hic insignes cuperem enumerare radices, ac Primæ Nobilitatis Flosculos, qui in præclaro Cornu-Copiæ *eminent, ac* TUAS *primigenias Cunas reddunt Illustres: at Religiosa Modestia* TUA *jam fanti digitum imposuit; unde nefas sum*

arbitratus, nisi TUIS Mandatis *ad amussim obtemperarem. Contentus hac unica sorte vivo, quod Tantum in Terris remotis invenire Patriotam licuerit, qui Abbatialem Dignitatem consecutus, Immortalem solo natali gloriam comparat, ac iis reddit* SUUM Cornu-Copiæ *explicatissimum, quibus eodem sub polo nasci Summa Fortunæ est.*

Atque id ipsum addidit Temeritati, qua usus sum, plures stimulos, dum Cornu-Copiæ *cernebam meis Votis, Desideriisque peropportunum.* Omnia *mihi* bona cum illo ventura *ominabar*, *ac* Lectulum sternere *me posse* Floridum, *ut* Flores appareant in Terra nostra, *haud vanus arguebam. Nec confidentem delusit opinio: vix ad pedes prostratus supplicabam, ut præsentes Paginas* TUO Placidissimo Nomini *adscribi gratiose patereris, jam* vineæ florentes *dabant* odorem suum, *flores decerpere licuit, ac* TUO Cornu-Copiæ *deliciari. Cæterum ultro patet, in quas laudum copias hæc, quam scribo, Epistola posset excurrere, si Florum fragrantiæ, quæ in* Cornu-Copiæ *eminet*, TUAS *compararem virtutes, quas* Flore *quodam* immarcescibili *ad illud tempus enutris; donec eas* Hortus voluptatis; *Paradisus cœlestis excipiat,*

piat,

piat: hic utique Flores Rosarum *inter juges mortificationis spinas, ac Lilia tum illibatæ puritatis, quam* & Lilia convallium *submissæ humilitatis commendare liceret: at nihil, quod laudem sapit, cupis poni in aprico, sed* Humilitas TUA *iteratum mihi silentium imposuit, ne flores virtutum mundo, quem horres, comperti essent, sed soli Deo, cui Placere* TUUM NOMEN & *Omen cupit, patescerent. Oratores mei loco mutos, eloquentissimos tamen substituo, qui* clamant de pariete, *ac innumeras de œconomico* Cornu-Copiæ *tesseras contestantur. Imperet* TUA *coram Sæculo delitescendi cupiditas, quantum poterit, nunquam gratitudini linguam evellet, ne marmoreis characteribus posterum memoriæ imprimat, quæ in Emolumentum* TUI Celeberrimi Asceterii *Paterna Benevolentia ac œconomicis studiis impenderas, dum ubique* TUUM Cornu-Copiæ fructificat suavitatem odoris, & Flores TUI sunt fructus honoris & honestatis: *Honoris pro Domo Dei; qui* TIBI *semper primis est in amoribus: honestatis in condigna Asceterii decentia; ne vel fastu excedat, vel defectu vilescat.*

Me

Me quod attinet, laudis TUÆ *silentium potero sustinere ; cum Homo Theologicus loquatur, quem in umbra expressi, ac vivum in* TE, MAECENAS PERILLUSTRIS! *licet revereri. Cui gratia est, intimius nosse* TUAM *sanctissimam vitæ rationem, deprehendet consummatam præsentis Tractatus veritatem. Triplicem hominis statum refert, ut sit* omne Trinum perfectum. *Initium finis & media totius Tractatus Summa est. Initium teneræ ætatis Deo litaveras : Media demonstrat absconditum a Sæculo vitæ Genus : Finem dabit post emensos vitæ dies æterna Retributio, quam post Temporum plurimas revolutiones precatur*

PLACIDO
GRATIOSOQVE
MAECENATI

Humillimus cliens
P. RRÆSES,
Patriota indignus.

I. *Homo Theologice consideratus.*

Merito hunc Tractatum De HOMINE THEOLOGICO inscribimus: * 2. Ejus initium, finem, & media considerando. ** 3. Non abludimus a communi notione, nisi methodo. ***

* Etsi enim Theologia sit sermo de Deo (Prol. I. 1.): ac per consequens non nisi de Deo loqui oporteat: interim cum hominis initium & finis sit ipse Deus; media vero seu actiones hominis ad hunc finem assequendum collimare debeant: merito de Homine Theologice considerato, seu relative ad Deum concepto hunc Tractatum inscribimus.

** Initium est ejus creatio : finis beatitudo : media sunt actus humani.

*** Alias de opere sex dierum: de beatitudine: de actibus humanis inscribi solent hi Tractatus, quod nobiscum in re coincidit (**).

DE HOMINIS INITIO.

II. *Hominis Initium.*

1. Hominis creationem, * 2. ejus statum ante, ** 3. & post peccatum consideramus. ***

* ** *** Hæc membra exigente methodo ponimus, ac primæ partis est subdivisio.

III. *Mundi Creatio.*

1. Deus Mundum hunc aspectabilem creavit: * 2. non per Angelum, sed per se ipsum: ** 3. nec in instanti, sed sex dierum spatio. ***

* Mirum est novitium illud quorumdam systema, qui ex nihilo nihil fieri contendentes, unam aliquam substantiam statuunt, cujus cætera, quæ videmus, nonnisi aliud & aliud quoddam indumentum essent ac modificatio, sicque mundum vesti comparant, qua Deus induitur, seu sensatam nuncupant in-insensibilis substantiæ modificationem. Convincuntur ex S. Literis Gen. 1. Sap. 1. v. 14. &c. dari veram mundi creationem. Epicureis vero argumentis ex omni serie demonstratur in Physica, mundum hunc aspectabilem non casu, non fato, sed Altissimi Architecti studio coaluisse.

** Prætendimus in Metaphysica, Angelum ad creandum elevari non posse: si enim semel detur, ut ex nihilo aliquid faciat, infinita creare posset; cum in nihilo non detur obstaculum, nec sit difficilius ex nihilo *A* aliquid creare, quam ex nihilo *B*.

*** Clarissime id innuit S. Scriptura in Genesi: cur sine necessitate a sensu literali deflectamus (Critica.)? Huic Thesi non obest S. Augustini opinio (Prol. XIV. ***). Fundamenta eorum, qui in instanti mundum creatum dicunt, sunt 1*mo.* Quod Gen. 1. v. 1. dicatur: *In principio Deus creavit cælum & terram*; ergo simul. 2*do.* Id conceptis verbis asseri dicunt Ecclesiast. 18. v. 1. & Jobi 40. v. 10. ubi Behemoth seu Angelus simul cum homine creatus innuitur. 3*tio.* Quia primum mobile tanquam mensura diei ibi nondum extiterat. 4*to.* Successio implicat Omnipotentiæ Divinæ; ergo oportet di-

cere,

cere, abſolviſſe omnia in momento. 5to. Deus omnia verbo unico *Fiat* confecerat; ergo & in temporis momento. Reſpondetur *ad 1mum.* N. C. prius in compendio S. Scriptura, quid creatum fuerit, explanat, dein & ipſam ſeriem enarrat. *Ad 2dum.* Modici dies, quibus tam operoſa Machina abſolvebatur, optime æquiparantur inſtanti. Jobi teſtimonium eodem modo explanatur. *Ad 3tium.* Ipſi concedimus, non intelligendum eſſe diem aſtronomicum: ſufficit nobis quodcunque intervallum variis creationum ſpeciebus interceptum. *Ad 4tum.* Huic difficultati ſubjacent omnes, qui animas etiam hodie creari ex Fide aſſerunt. *Ad 5tum.* Illud *Fiat* repetito, non ſemel duntaxat profertur teſte S. Scriptura; ergo non idem, ſed plura momenta ſupponit.

IV. *Opus primæ diei.*

1. Primo die Cœlum, Terra, Aqua, Lux creata ſunt. * 2. Per Terram non debet intelligi materia prima informis duntaxat. ** 3. Per Lucem intelligitur congrue materia ſubtilis. ***

* *In principio creavit Deus cælum & terram* Gen. 1. v. 1.: et, quia ſtatim additur v. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, ſupponuntur etiam aquæ conditæ: cumque poſt factam lucem dicatur v. 5. *factum eſt veſpere & mane dies unus*, patet, etiam lucem primo die fuiſſe conditam.

** (Phyſica). Etſi libenter concedamus, quod *inanis* decore, ac *vacua* plantis tunc adhuc fuerit.

*** (Phyſica). Explicatur, quomodo ejus preſſione dies apparuerit, ſicut modo, dum motu Solis circa axem rotantis premitur.

V. *Opus ſecundæ diei.*

1. Firmamentum conditum hoc die eſt. * 2. Intelligimus Fluidum illud a finibus mundi uſque ad terras interceptum. ** 3. Abludunt a legibus Hydroſtaticæ, qui aquas elementares ibi ſuſpenſas in cataractis ſuperioribus arbitrantur. ***

* Ita ſacer Textus Gen. 1. v. 7. & 8.

 **Si

** Si Vacuum contra Neutonum negatur, omnia repleta sunt, ita, ut aer usque ad lunæ regionem se extendat, dein subtilior ac subtilior materia usque ad finem seu cœlum empyreum statuatur. Jam in hac hypothesi aer ac illa subtilis materia fuit creata: non enim cum Cartesio impossibile prorsus vacuum asserimus, quasi primo jam die omnia fluido fuissent repleta. Simul aqua terræ miscebatur, vigore lucis resoluta in nubes suspendebatur ab aere æquilibrante, ut hydrostaticum hoc hypomochlion fulcrum seu firmamentum superiorum partium subtiliorum dici possit.

*** Graviora propius ad centrum tendunt. Non oportet spernere Neo-Philosophos, qui in explicandis naturæ phænomenis mire excellunt.

VI. *Opus tertia diei.*

1. Hoc die congregatæ sunt aquæ, ac plantæ productæ. * 2. Per congregationem aquarum maria intelligimus. ** 3. Omnium plantarum semina creata sunt, ita, ut præter morem subito in herbam virentem creverint. ***

* *Congregentur aquæ ... in locum unum .... germinet terra herbam virentem &c.* Gen. 1. v 9. & seq.

** *Congregationesque aquarum appellavit maria* Gen. 1. v. 10. Nempe primo die creatæ sunt aquæ (IV. 1.), ac terræ commixtæ. Secundo die pars illarum resolvebatur in nubes (V. **): reliqua pars adhuc terræ immixta congregabatur in cumulum, ac nomen maris obtinuit.

*** Hæc hypothesis combinat duos textus, quorum unus Gen. 2. v. 5. herbas, *priusquam germinarent*, conditas dicit: alter vero Gen. 1. v. 12. herbas *virentes* fuisse creatas asserit.

VII. *Opus quarta diei.*

1. Sol, Luna, Stellæ creabantur. * 2. Efficax ratio, Terram non esse Solis Planetam, ut volunt Copernicani. ** 3. Solem virtualiter duntaxat calidum esse Veterum fuit quondam opinio, modo communius rejecta. ***

* A versu 14. usque ad 19. c. cit.

** Alias & hoc die cum reliquis Planetis fuisset condita.

*** Dulcis Philosophiæ recordatio. Effectus sunt admodum perspicui: siquid calorem & lucem excitet, id communi notione ignem vocamus.

VIII. *Opus quintæ diei.*

1. Pisces & volucres creabantur hoc die. * 2. Pisces nempe ex aquis educebantur. ** 3. Idem de volucribus nobis judicium est. ***

* A versu 20. usque ad 23. c. cit.

** *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram.* loc. cit.

*** Contradicere videtur Gen. c. 2. v. 19. Formatis igitur *de humo* cunctis animantibus &c.; at congrue λn *humo* de quavis materia solida intelligi potest, sive dein nexu facillimo, ut fluida, sive implexiori, ut alia solida, cohæreant.

IX. *Opus sextæ diei.*

1. Reliqua animantia, ut & Adam ac Eva creabantur. * 2. Eva vere ex costa Adæ desumpta est. ** 3. Adam extra, Eva intra Paradisum. ***

* A versu 24. usque ad 31. c. cit.

** Notat Dupasquier, eo minus recedendum esse a sensu literali, quo magis constat, S. Scripturam aliquid historice narrare, prout facit in hac materia.

*** Gen. 2. v. 8. dicitur de Adamo: *in quo* (Paradiso) *posuit hominem, quem formaverat.* Item c. cit. v. 15. *tulit Dominus Deus Hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis*; ergo antecedenter fuit extra creatus, dein translatus, & positus in paradiso. Eva vero ex costa sumpta est, postquam Adam jam fuerat translatus in Paradisum, ut habet S. Historia Gen. 2.

X. *Paradisus.*

1. Per Paradisum nequit intelligi universus Orbis. * 2. Fuit hortus quidam singularis omnibus communis. ** 3. De loco Paradisi valde probabilis est sententia Huetii. ***

* Moventur quidam 1mo. Quod per *fontem universam superficiem terræ*

terræ irrigantem Gen. 2. v. 6. non nisi Oceanus intelligi possit. *2do.* Quia, si Adam non peccasset, locus voluptatis fuisset pro universo genere humano; ergo & Paradisus se debuisset universim extendere. At respondetur *ad 1mum*, omnem fontem majorem, perrennemque ambire terram, quatenus se immergit Oceano. *Ad 2dum*: fuisset hortus communis, de quo participasset quivis pro libitu. Omnia ista non sufficiunt, ut a sensu literali recedamus. S. Scriptura adeo clare loquitur, ut nonnisi de loco singulari possit intelligi. *Plantaverat*, inquit Gen. 2. v. 8. & seq. *Dominus Deus Paradisum*, scilicet die tertio, quo productæ sunt omnes plantæ, consequenter & plantæ ipsius Paradisi (VI. 1.); dum orbis terrarum jam conditus erat (IV. 1.). Ibi NB. *produxit omne lignum pulchrum visu* &c. *Fluvius egrediebatur de loco* &c. quæ & plura alia nonnisi de loco particulari possunt intelligi.

** Id ex arboribus *pulchris visu, & ad vescendum suavibus* Gen. 2. v. 9. colligi potest.

*** Contendit Huetius, Paradisum in Syria, hodie Diarbeker nuncupata, fuisse conditum, & quidem circa Mesopotamiam & Chaldæam non procul ab urbe Bagdad, sinuque Persico. Rationes ejus sunt *1mo.* Quia illa regio est fertilissima. *2do.* Quia a primis hominibus culta fuit; cum *Cain* habitaverit *in Eden* Gen. 4. v. 16. Eden vero circa Mesopotamiam sita est. *3tio.* Quia quatuor fluvii Gen. 2. v. 10. & seq. explicari possunt, nempe in ingressu Euphrates & Tigris, in egressu Phison & Gehon.

XI. *Arbores Paradisi.*

1. Erant in Paradiso quædam arbores vivificæ: * 2. quædam communes: ** 3. quædam probaticæ. ***

* Intelligimus arborem Vitæ, de qua comedendo posteri suam vitam prolongassent, ab injuriis præservassent, imo secundum aliquos immortalizati fuissent.

** Ne duro labore consumpti cibos quæsivissent, ut accidit post peccatum.

*** Nempe arbor Scientiæ Boni & Mali, de qua comedere lege Divina prohibebantur sub pœna mortis, ut eorum obedientia ac subjectio probaretur.

XII. *Sta-*

XII. *Status Primi Hominis.*

1. Status Naturæ puræ & integræ, in quo potuiſſet poni Adamus: * 2. Status Innocentiæ, in quo fuit poſitus: ** 3. Status Naturæ lapſæ, & reparatæ, in quem poſt peccatum devenit Adam, hic examinantur. ***

* ** *** Ultro patet, hæc membra ratione methodi hic poni (II.)

XIII. *Status Naturæ puræ.*

1. In hoc ſtatu homo poſitus nec in gratia, nec in peccato ſupponitur concipi: * 2. nec etiam ad finem ſupernaturalem creari. ** 3. Interim caro rebellis eſſet adverſus ſpiritum. ***

* Nempe in meris naturalibus relinqueretur.

** Non eſſet tunc creatus, ut aliquando Viſionem Beatam obtineret: id enim ſtatus elevati proprietatem eſſe audiemus.

*** Prout alias concupiſcentia nititur ad deteriora: ex eadem ratione fuiſſet mors, morbi, fatalia, eaque omnia, quæ naturæ creatæ inſidiari ſolent, ac exigunt qualitates pugnantes ad naturæ deſtructionem.

XIV. *Dotes Status Naturæ puræ.*

1. Homo relinqueretur ſine ullis auxiliis ſupernaturalibus. * 2. Finis ejus eſſet Beatitudo quædam naturalis. ** 3. Caro, etſi rebellis, non adeo ſæviret, ut fit in ſtatu lapſo. ***

* Cum enim finis non eſſet ſupernaturalis (XIII. **), etiam media ſupernaturalia non requirerentur (Ethica).

** Conſiſtit hæc in cognitione quadam abſtractiva Dei meliori ea, quam modo habemus. Jam cum hominis finis alius non ſit niſi Deus, ut audiemus; homo autem non ſit in ſtatu elevato (XIII. **), non erit niſi abſtractiva beatitudo.

*** Nam per peccatum, etſi naturalia non ſint deſtructa, attamen læſa audiemus.

XV. *Obligatio hujus Status.*

1. In hoc ſtatu teneretur quis obſervare legem naturalem.

lem. * 2. Potuissent etiam contra hanc legem peccare. ** 3. Peccantes punirentur pœna temporali, ut & æterna. ***

* Nam hæc omnem hominem obligat; cum necessaria & universalis sit (Tract. de LL. XI. 2.).

** Cum libertatem fuissent nacti, quæ humanæ voluntati intrinseca est (Physica), legem violare pro arbitrio potuissent: sine peccato quidem originali concepti, non tamen impeccabiles fuissent.

*** Sicut datur Beatitudo quædam bene agentibus (XIV. 2), ita pœna delicto conformis; ergo pro delicto minori minor pœna, nempe temporalis; pro gravi pœna æterna.

XVI. *Status Naturæ puræ Existentia.*

1. In hoc Adam nunquam fuit positus: 2. potuisset tamen poni. ** 3. Bajus, & Jansenius contraria hypothesi suæ hæresi astute præluserant. ***

* Patebit infra, Adamum per peccatum gratiis Divinis, ac integritate excidisse; ergo habuit gratias, ac integritatem, quæ statui Naturæ puræ non conveniunt (XIII. 1.).

** Quis enim ad gratias, ad dandam Adamo integritatem Deum cogere potuerat? eo ipso non fuisset gratia, sed debitum.

*** Voluerunt, debitam fuisse Adamo integritatem, debitas illas gratias, quas sortitus sit; proinde impossibilem Statum Naturæ puræ, sominabant. Illorum rationes sunt 1*mo*. Damnata est, inquiunt, Pelagii sententia, hominem ex viribus naturæ operari bonum posse: atqui id ipsum sequitur in hypothesi Naturæ puræ; cum in hoc statu esset gratiis destitutus, innata tamen libertate operari vel bonum, vel malum posset. 2*do*. Talis beatitudinem posset mereri; cum nemo necessario damnetur: ergo per vires naturales. 3*tio*. Cum status Naturæ puræ differentia a statu Naturæ integræ sita sit in rebellione carnis adversus Spiritum, indulgens concupiscentiis a peccato immunis dici posset; eoquod eliceret opera illi statui propria. 4*to*. Homo in hoc statu esset obnoxius concupiscentiæ sine culpa; atqui hoc repugnat Bonitati Divinæ, quæ ultra meritum remuneratur, sed citra demeritum punit (Axioma). 5*to*. Morbus & mors sunt pœna peccati; ergo, quia peccatum non fuisset, homo in illo statu ejusmodi miseriis

non

non fuisset subjectus. *6to.* Concupiscentia in hoc statu mala esset: Deus esset illius Author; ergo Author malorum. *7mo.* Concupiscentia fuisset eadem ac modo: nec fuisset tunc gratia (XIII. 1.); ergo homo necessitaretur ad malum: ac proinde sine sua culpa damnaretur. At facile respondetur *ad 1mum*, Pelagium id ipsum post, non ante lapsum sensisse; ut proin homo lapsus viribus naturæ beatitudinem supernaturalem assequi posset: nos in hypothesi sumus Naturæ puræ. *Ad 2dum.* Naturalem C. supernaturalem N. (XIV. 2.). *Ad 3tium.* Teneretur vivere secundum legem naturalem (XV. 1.). *Ad 4tum.* Concupiscentiæ subjectum esse, non foret nisi humanæ conditionis effectus physicus, non culpa (XIII. 3.). *Ad 5tum.* Sunt pœna, prout privabant integritate ac gratia Adami C. prout sunt conditiones humanæ naturæ, quæ, cum ex contrariis qualitatibus compacta sit, ex natura sua est defectibilis, corruptibilis N. *Ad 6tum.* Concupiscentia non est mala, nisi exorbitet, quod fiet, si ratio frænum indulgeat contra legem huic statui naturalem. *Ad 7mum.* D. A. eodem furore, ac dum est pœna peccati N. remissiori C. (XIV. 3.).

XVII. *Status Naturæ integræ.*

1. In hoc homo constitutus pariter concipitur sine peccato, & gratia sanctificante. * 2. sine ordinatione ad beatitudinem supernaturalem; ** 3. haberet tamen donum integritatis, seu subjectionem, quietem, & pacem in membris suis. ***

* Est definitio nominis, quam ut Postulatum duntaxat cupimus.

** Convenit per hoc cum statu Naturæ puræ.

*** Et hæc est differentia a statu Naturæ puræ (XIII. 3.).

XVIII. *Hujus Status Integritas, & Existentia.*

1. Non potest evinci, quod ista integritas esset homini in hoc statu connaturalis: * 2. esset verum donum Dei. ** 3. Nunquam hunc statum extitisse libenter fatemur. ***

* Eo ipso, quia possibilis est status Naturæ puræ, integritas est donum non pertinens ad naturam, sed gratiam. Sane non

poteſt evinci, naturam phyſice conſideratam exigere paſſionum quietem, ſubjectionem perfectam, rationis dominium imperturbatum, & quæ ſunt alia: id contra qualitatum in mixto pugnantium rationem militat.

** Si Natura de ſe ſit defectibilis, eo ipſo talis indefectibilitas eſt donum Altiſſimi.

*** Si extitiſſet, primus homo debuiſſet in hoc ſtatu poni: at cum non ſolum exciderit ex iſta integritate, ſed etiam e gratia ſanctificante, ut audiemus, fueritque ordinatus ad beatitudinem æternam, quibus omnibus hic ſtatus caruiſſet (XVII. 1. 2.), jam patet, in hoc ſtatu poſitum non fuiſſe; etſi iſtud donum integritatis habuerit.

XIX. *Status Innocentiæ.*

1. In hoc ſtatu homo poſitus ſupponitur conceptus abs ullo peccato: * 2. capax, ac obtinens varia auxilia ſupernaturalia: ** 3. ordinatus ad æternam beatitudinem. ***

* Per hoc convenit cum reliquis ſtatibus; ac patet evidenter: nam in peccato naſci nemo poteſt, niſi quis ſit in ſtatu lapſo, ubi datur peccatum originis.

** *** Et hæc eſt differentia a duobus prioribus (XIV. 1. XIII.** XVII. **).

XX. *Prærogativa hujus Status quoad animam.*

1. Poſitus in hoc ſtatu obtinuiſſet gratiam ſanctificantem, habitus per ſe ac per accidens infuſos, * 2. ut & juſtitiam originalem: ** 3. fuiſſent dona gratiæ, non naturæ. ***

* Id a poſteriori colligi debet: nam primus homo juxta Trident. Seſſ. 5. excidit per peccatum a *ſanctitate & juſtitia*: ergo, ſi ſanctitas nil ſit niſi gratia ſanctificans, eo ipſo duas has dotes habuit; cumque omnis juſtificatio juxta Trident. Seſſ. 6. cap. 7. fiat per habitus infuſos fidei, ſpei, & charitatis, ſanctificatio ſupponit hos etiam infuſos. Porro quia ignorantia notitiæ, & infirmitas fortitudini velut pœna ſucceſſit, habitus quoque per accidens infuſi ſtatum illum perfectum felicitaſſent.

** Id patet ex membro primo: examinari debet, in quo conſiſtat iſta juſtitia.

*** Eo ipſo, quia ſtatus Naturæ puræ poſſibilis eſt (XVI. **).

XXI.

XXI. *Justitia Originalis.*

1. Justitia originalis non consistit in ipsa & sola gratia sanctificante, cæterisque habitibus infusis; * 2. sed in dono integritatis. ** 3. Fuissent nempe principales hujus status prærogativæ: gratia sanctificans, & donum integritatis. ***

* Nam juxta Trident. loc. cit. non sola gratia, sed & justitia per peccatum est perdita (XX. *).

** Posita integritate seu subjectione hominis inferioris (XVII. 3.) habentur omnia, quæ ad status felicitatem possunt desiderari; præcipue

*** Cum juncta sit gratiæ sanctificanti; per quas duas prærogativas differt a statibus reliquis (XIII. 1. 3. XVII. 1.).

XXII. *Prærogativa quoad corpus.*

1. In hoc statu felici nulli fuissent morbi, nulla mors subsecuta. * 2. Canon universalis statui potest. ** 3. Fuisset pariter donum extraordinarium. ***

* ** Assignamus pro canone: quidquid ex S. Scriptura per peccatum fuit deperditum, ac malorum fuit invectum: horum carentia se prodidisset, si peccatum non fuisset commissum. Cum ergo per peccatum teste Scriptura, ut infra dicemus, hæc mala sint introducta, patet, quod hic status fuisset ab hisce immunis.

*** Nam ex natura sua corpus est corruptibile (Physica.): resultaret ablato hoc dono status Naturæ puræ; ergo mors, morbi &c. (XIII. ***).

XXIII. *Perseverantia hypothetica hujus status.*

1. Si status iste felicissimus perseverasset, soli Electi fuissent nati. * 2. Matrimonium præstitisset cælibatui. ** 3. Non nisi Politia domestica inter virum & uxorem fuisset. ***

* Ita in terminis Greg. l. 4. mor. c. 36. Immortalitas enim (XXII. 1.) non posset componi cum filiis perditis.

** Fuissent tot fœminæ, quot viri, prout ex Gen. 2. v. 18. Ss. Patres deducunt; ergo ratio status exegisset conjunctionem.

*** Servitus pariter est pœna peccati.

XXIV. *Existentia hujus Status.*

1. Extitit status hic felicissimus, ac primi Parentes in eo fuerunt positi. * 2. Proinde in justitia originali & sanctitate creati sunt. ** 3. Habuerunt omnia dona statui huic propria ***.

* Probabitur inferius, excidisse per peccatum ex hoc statu; ergo in eo conditi fuerunt.

** Est corollarium (XXI. 1. 2.).

*** Nempe corporis & animæ prærogativas huic statui annexas (XXI. XXII. XXIII.).

XXV. *Duratio hujus Status.*

1. Non diu extitit status iste. * 2. Plusquam momento, probabilius est. ** 3. Aliæ sunt magis piæ, quam probatæ sententiæ. ***

* Non diu extitisse S. Scriptura innuit, dum vix recensito statu felici lapsum memorat Gen. 3.

** Vix explicari poterit, in momento omnia accidisse, quæ S. Scriptura usque ad Adami peccatum narrat Gen. 2. & 3.

*** Sunt, qui 3. diebus, quibus in sepulchro delituit Christus: alii 40, quibus jejunavit: alii 33. annis, quibus vixit, durasse divinant.

XXVI. *Status Lapsus.*

1. Homo in statu lapso positus nascitur in peccato:* 2. repletur multis miseriis: ** 3. filius gehennæ. ***

* ** *** Brevi audiemus, hos funestissimos esse effectus peccati Adami.

XXVII. *Præceptum Adamo datum.*

1. Adamo præceptum erat, ne comederet de ligno Scientiæ Boni & Mali. * 2. Hoc præceptum obligabat eum sub gravi. ** 3. Fuit in illo omnibus posteris datum. ***

* Clarissimus textus est Gen. 2. v. 17. *de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.*

** *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* loc. cit. (Tract. de LL. XXIX. *).

*** Etsi enim tantum Adamo in singulari hæc commestio fuerit prohibita: attamen Eva peccans se inclusam fuisse testabatur: præcepit *nobis* Deus, ne *comederemus* &c. Gen. 3. v. 3. ergo idem de posteris dicendum.

XXVIII. *Peccata prima Proto-Parentum.*

1. Prius contra varias virtutes, ac legem naturalem peccaverunt Proto-Parentes: * 2. Eva gravius, ** 3. Adam levius. ***

* ** *** Eva in superbiæ crimen incidit, auditis verbis Gen. 3. v. 5. *eritis sicut Dii.* Adam vero inordinato amore ferebatur in uxorem, & timore vano abreptus, ne offenderet mulierem, consensit. *Notandum*, non prius in appetitu hanc inordinationem fuisse excitatam (XX. 2. XXI. **), ut modo nostræ fragilitati contingit: prius in mente similis deordinatio concepta est.

XXIX. *Sequela horum peccatorum.*

1. Vi horum, aliorumque peccatorum, excepto cibo vetito, non amisissent justitiam primi Parentes; * 2. imo, etsi sola Eva gustasset: ** 3. nec posteri luissent pœnam. ***

* Non enim nisi transgressioni præcepti hujus positivi Deus mortem annexuit (XXVII. * **).

** Nam cum Adamo solo velut Capite fecisse pactum interprete Ecclesia colligitur ex illis verbis: *in quocunque die comederis* &c. Item Rom. 5. v. 12. habetur: per *unum* hominem peccatum intravit &c; ergo eo ipso, quod *unus* tantum assignetur, non uterque, potius Adam ceu Caput causa fuit.

*** In nullo nisi in hoc peccato pactum fuisse initum censent Theologi.

XXX. *Transgressio Præcepti Pomi vetiti.*

1. Adam vere transgressus est præceptum cibi vetiti: * 2. seductus ab Eva: ** 3. Eva vero a Serpente. ***

* Patet ex S. Textu Gen. 3. v. 6. (IX. **). Systema quorumdam, sub figura Pomi vetiti copulam carnalem ante datam a Deo licentiam intelligentium, contradicit versui 24. c. 2. & versui 1. c. 4.

** *Mulier . . . dedit mihi de ligno.* Gen. 3. v. 12.

*** *Serpens decepit me.* v. 13. Oritur difficultas, quomodo tentari potuerint; cum perfecta fuerit in iis integritas, seu appetitus subjectio (XX. 2. XXI. **): at respondetur, ab extrinseco tentatos; ab intrinseco ideas animæ ex libertate fuisse concitatas, ut tunc motus inordinatos producerent.

XXXI. *Serpens Seductor.*

1. Serpente vero usum esse Dæmonem persuademur. * 2. Dantur rationes congruentiæ, cur Serpentem assumpserit Dæmon. ** 3. Dæmon ex invidia & superbia primo homini insidiabatur. ***

* Non enim adest ratio sufficiens recedendi a sensu literali (IX.**).

** Etsi genuina nos causa lateat; attamen speciali id providentia factum est, ut ostendat Deus, quanta sit hominis cœcitas, dum ab iis seducitur, quæ potius horrorem incuterent.

*** Ipse excidit e statu felici; ergo & aliis invidebat; cum homo tunc sua excellentia Dæmonem superaret. Cæterum loquela non erat Serpentis, sed Dæmonis, sicut varios sonitus ex energumenis solet edere.

XXXII. *Pœna hujus Peccati.*

1. Maledictio data Serpenti: * 2. Proto-Parentibus: ** 3. Posteris Adami. ***

* ** *** Ita clarissime S. Textus Gen. 3. v. 14. & seq.

XXXIII. *Maledictio Serpentis.*

1. Hæc non cadit in ipsum Serpentem; * 2. sed Dæmonem: ** 3. ipsius nuperam dejectionem manifestando. ***

* Animal irrationale sicut nec culpæ, ita nec pœnæ capax est (Ethica).

*** Dejecit illum Gen. 3. v. 14. & 15. infra conditionem brutorum: inimicitiæ sunt inter eum, & B. V. Mariam, quam firmiter tenemus Immaculata Conceptione caput Dæmonis contrivisse.

XXXIV. *Maledictio Adami.*

1. Duplici morte punivit illum Deus: * 2. sudore, ac ærumnis: ** 3. terræ operosiori cultura. ***

* Mortem animæ innuunt verba: *morte morieris.* Mortem corporis: *in pulverem reverteris.* Fuit tunc mors pœna peccati: etsi enim qua homo fuerit semper mortalis, si in puris naturalibus consideretur (XIII. ***); attamen fuisset in statu Innocentiæ speciali dono a morte præservatus (XXII. 1. 3.); atque adeo illo dono in pœnam peccati exuebatur.

** *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.*

*** *Maledicta terra in opere tuo ... spinas, & tribulos germinabit tibi:* id est, non quasi noviter creasset (VI. 3.), sed creatas pratis, campisque immiscuerit.

XXXV. *Maledictio Evæ.*

1. Hæc maledictio non debet de pluralitate prolium, * 2. sed de multiplicatis in partu doloribus intelligi: ** 3. cum servitute in ordine ad Virum. ***

* Multiplicatio prolium etiam in statu Innocentiæ contigisset (XXIII. 1.).

** Consectarium est: vel assignetur aliquid aliud.

*** S. Textus: *sub Viri potestate eris, & ipse dominabitur Tui.*

XXXVI. *Maledictio Posterorum.*

1. Dura necessitas, in peccato nasci. * 2. Vulnera intellectus, & voluntatis. ** 3. Fomes peccati. **

* *In peccatis concepit me mater mea.* Psal. 50. v. 7.

** Ignorantia in intellectu, ut hodie multis vigiliis opus sit ad discenda etiam modica. Ars longa: vita brevis! Malitia in voluntate nitens ad deteriora: *quod nolo malum, hoc facio.* Rom. 7. v. 19.

*** Propensio ad bona sensibilia, delectabilia: declinare ab honesto,

sto, etsi fine ultimo &c. Pulchre singula S. Augustinus complectitur l. 3. de civit. Dei. Art. 18. inquiens: *evenit modo, ut erret invitus; & non posse a libidinosis operibus temperare non est natura instituti* (elevati) *hominis, sed pœna damnati.*

XXXVII. *Status Reparatus.*

1. In hoc statu positus vix nascitur, jam potest fieri a peccato immunis. * 2. Adjuvatur auxiliis efficacissimis. ** 3. Beatitudo perdita ipsi restituitur. ***

* Id per Remedium in statu Legis Naturæ, per Circumcisionem in Lege scripta, per Baptismum in Lege gratiæ contingit (Tract. de Sacramentis).

** Jam erant efficacia per venturum Messiam: efficacissima, dum nos redemit. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Philipp. 4. v. 13.

*** Quia Redemptor fuit *ostium* Joan. 10. v. 9. *via, & veritas, & vita* Joan. 14. v. 6.; hunc finem assequi oportet, utpote ad quem sumus creati, ut brevi patebit.

DE FINE HOMINIS.

XXXVIII. *Finis & Boni notio.*

1. Finis est illud, quod movet voluntatem gratia sui, cætera vero propter finem. * 2. Bonum est id, per quod movet; ** 3. unde bonum & finis non nisi per connotata differunt. ***

* Id est, Finis est bonum, quod causat in voluntate amorem, ut voluntas 1mo illum finem appetat, ac 2do media ad illum assequendum adhibeat.

** Voluntas enim non nisi a bono movetur (Animastica).

*** Bonum est id, quod omnia appetunt, seu: quod in se perfectionem habet appetitui convenientem. Finis pariter non moveret, nisi perfectionem haberet appetitui convenientem. Interim finis connotat media, quæ assumuntur ad illud bonum obtinendum; bonitas vero abstrahit.

XXXIX.

XXXIX. *Divisio Boni.*

1. Si Bonum commodum nostrum respicit, vocatur utile: * 2. si sensus leniter afficiat, vocatur delectabile: ** 3. si rectæ rationi ac prudentiæ sit conforme, vocatur honestum. ***

* ** *** Sunt definitiones nominis.

XL. *Divisio Finis ut boni.*

1. Si illud, quod me movet, ut assequi studeam, sit Bonum delectabile, vocatur finis intermedius: * 2. ut & si commodum duntaxat respiciat. ** 3. Si vero me movet, quia sanæ rationi conforme, seu quia honestum est, vocatur finis ultimus. ***

* ** *** Sunt definitiones nominis.

XLI. *Divisio Finis ratione sui.*

1. Si aliquod medium arripiam, ut mihi vel alteri bene fiat, ego vel alter erit finis *cui*: * 2. ipsum vero medium est finis *quo*. ** 3. Illa ratio, cur hoc medium alteri vel mihi applicem, est finis *cujus*. ***

* ** *** E. g. pecunias sumo, ut alter vel ego officium obtineam, ista pecunia est finis *quo*, alter vel ego finis *cui*, officium finis *cujus gratia*.

XLII. *Finis Existentia.*

1. Omni creaturæ præfixus finis est: * 2. creaturis irrationabilibus fines intermedii sunt fines ultimi. ** 3. Sola creatura rationalis habet finem ultimum. ***

* Sic gravia tendunt ad centrum, ac quodvis tendit ad suum terminum ab Authore naturæ præfixum (Experientia).

** Nam nonnisi a bono sensibili possunt moveri; cum recta ratio deficiat (Ethica): atqui bonum sensibile est finis tantum intermedius (XL. 1.); ergo hic finis tunc erit ultimus.

*** Eo ipso, quia finis ultimus est id, quod rectæ rationi conforme est (XL. 3.), ad finem ultimum tendere nemo potest, nisi qui conformiter rectæ rationi potest operari.

XLIII. *Finis ultimus.*

1. Quod creatura rationalis debeat tendere ad finem ultimum, tenemus. * 2. Deliberatæ actiones omnes sunt referibiles ad finem ultimum; ** 3. unde quævis creatura debet ultimato finem honestum suis actionibus præfigere. ***

* Si enim quodvis creatum debeat tendere ad suum finem (XLII. 1.), cur non creatura nobilissima? sed non ad finem intermedium, secus non differret a bruto (XLII. 2.); ergo necesse est, ut tendat tandem ad finem ultimum.

** Si enim sit deliberata actio, differet per hoc ab indeliberata, quod hæc casu, illa ex intentione, ex fine fiat (Ethica); ergo habet vel finem ultimum, vel intermedium: si 1mum, patet veritas: si 2dum, eo ipso tanquam finis intermedius ultra referri poterit.

*** Cum enim creatura rationalis præfixum a Deo habeat finem ultimum (XLII. 3.), atque ad illum tendere teneatur (*); finis vero ultimus sit ipsum bonum honestum (XL. 3.), patet, quod quævis creatura &c.

XLIV. *Obligatio Finis ultimi.*

1. Quod nunquam liceat tendere deliberate ad finem intermedium, nondum satis probatum est. * 2. Propositiones damnatæ id non evincunt. ** 3. Universim tenemus, deliberate agentem non teneri, omnes prorsus actiones referre ad finem ultimum. ***

* Id ex eo evincere conantur Patroni contrariæ sententiæ, quod in omnibus actionibus deliberatis homo differre debeat a bruto; ergo inferunt: quia bruta non nisi ad finem intermedium, seu bonum sensibile & delectabile (XL. 1.) tendunt (XLII. 2.); homo idem agens non differret a bruto. At optandum censemus, ut omnes omnino hominum actiones ad finem ultimum referrentur: id suadet utique Doctor gentium 1. Cor. 10. v. 31. ut *omnia in gloriam Dei* faciamus: sed quod

&

& præcepto adstringamur, ut prorsus nulla nec minima actio deliberata a nobis procedat, quin ad finem ultimum referatur; id nondum evictum est.

** Videntur huic Thesi adversari duæ propositiones 8va & 9na ab Innocentio XI. damnatæ, quarum authores prætendebant, posse copulam maritalem, vel cibum & potum ad satietatem sumptos referri ad finem intermedium voluptatis: damnatum hoc esse fatemur, ac sine culpa id fieri non posse in datis casibus existimamus: at inde inferri non potest, nec in aliis posse hominem unam aut alteram deliberatam actionem ponere, quæ non referatur ad finem ultimum. Multiplex sane est disparitas: 1*mo*. Id damnatum est in casu particulari; ergo firmat regulam in non exceptis. Exposuit in datis casibus Pontifex Jus naturæ: in aliis abstinuit; ergo libertati nostræ locum facimus; donec ab iis in his etiam fiamus certiores, quorum erit exponere, quid Jus naturæ exigat vel prohibeat (Tr. de LL. XVI. ***). 2*do*. Major in uno actu est voluptas quam in alio; ergo & majus periculum, ut cor omnimode a fine ultimo aberret. 3*tio*. Siquis, ut olim D. Bernardus, præcise alium cespitare faciat, ut mœstos confratres ad risum excitet deliberate: quis in hac actione male agere convincetur? 4*to*. Talis actus nondum esset bruto similis; cum voluntarius, & liber esset, ac exercitus; quia nec lex prohibet, nec præcipit.

*** Patet ex his 3tii membri veritas. Prudentis est, extrema vitare. Id notandum probe est, omne peccatum aberrare a fine ultimo; at non omnis, qui deliberate in finem intermedium tendit, in quolibet actu peccat. Tunc aberrare a fine ultimo, & converti ad sensibilia peccatum est, si sit de objecto præcepto aut prohibito, vel si expresse aut interpretative secludat a suo actu finem ultimum: non vero, si abstrahat. Notetur hoc in ordine ad actus indifferentes: illa Thesis primarium suum hic ponit fundamentum.

XLV. *Conditiones Finis ultimi.*

1. Ut aliquid Finis ultimi rationem habeat, debet esse bonum verum & constans: * 2. satiativum: ** 3. ut omnia reliqua bona respectu illius sint fines intermedii. ***

* Creati sumus, ut simus felices ac beati (Tract. de LL. VII. 2.); at beati non sumus perfecte, neque omnimode felices, si sit bonum apparens aut præfixum: melius enim jam esset bonum verum; ergo oportet, ut finis ultimus non aliud bonum sit, quam verum. Dein bonum tantum apparens aut præfixum in veritate malum est; ergo eo ipso nos non redderet ex omni parte beatos. Constans sit, oportet: nam si cessat bonum, incipit malum; ergo infelices essemus.

** Satiativum debet esse: alias ultra tenderet appetitus; ac proinde finis ultimus non esset.

*** Duo ultima esse non possunt; erit itaque unum ultimum; ergo eo ipso bona reliqua erunt fines intermedii.

XLVI. *Constitutivum Finis ultimi.*

1. Nullum bonum creatum; * 2. sed Deus præcise potest esse finis ultimus. ** 3. Apparet, quantum exorbitent, qui a juris naturalis principio Deum excludunt. ***

* Sive sint bona fortunæ, sive sint bona corporis, aut animi, finita sunt, inconstantia, vicissitudini subjecta, sunt respectu Boni Infiniti fines intermedii; ergo rationem finis ultimi habere non possunt (XLV.).

** Conditiones requisitæ (XLV.) in Deo concentricant (Tract. de Deo IV. 3.).

*** Felicitas propria a jure naturæ nequit excludi (Tract. de LL. VII. 2.); at quæ felicitas ultimata sine Deo (XLVI. *)?

XLVII. *Finis ultimus Peccantis mortaliter.*

1. Finis ultimus *cui* est ipse peccans: * 2. finis *cujus* est voluptas: ** 3. finis *quo* est ipsum bonum, quo utitur. ***

* Pulchre S. Augustinus l. 14. de civ. Dei c. 28. *sicut amor Dei usque ad contemptum sui ædificat civitatem Dei, sic amor sui usque ad contemptum Dei ædificat civitatem Babylonis.* Et l. 21. c. 26. de lib. arb. *Peccator vult sibi esse bonum suum, & Deus suus.*

** Gratia voluptatis procatur impotens libidinis æstus.

*** Utendis fruitur.

XLVIII.

XLVIII. *Finis ultimus Peccantis venialiter.*

1. Finis ultimus est ipse peccans; at dispositive: * 2. formaliter adhuc est ipse Deus. ** 3. Sic intendit bonum delectabile, ut non excludat, sed abstrahat a fine honesto. ***

* Nempe in ordine ad peccatum, quod committit, quantum ad sui emolumentum, est eadem ratio, ac de peccato mortali: in hoc est differentia, quod veniale non avertat omnimode.

** Sed ipse Deus est, cui peccans venialiter unitus manet.

*** Ratio ipsissima est: cum enim bonum honestum sit finis ultimus (XL. 3.): finis vero ultimus sit ipse Deus (XLVI. 2.): a Deo autem non excludatur peccans venialiter (**); patet, quod non excludatur a fine honesto: quia tamen ipsius creaturæ volupe est finis *cujus* (XLVII. 2.), aliter explicari non poterit, nisi quod abstrahat ab honesto.

XLIX. *Finis ultimi Consecutio.*

1. Finem ultimum assequimur in Patria per Visionem Beatam. * 2. Hinc Beatitudo illa, prout nos afficit, ** 3. et ut afficimur, est Finis ultimi consecutio. ***

* Cum enim Deus sit noster Finis ultimus (XLVI. 2.), nos perfecte beatos non reddit, quamdiu illum non assequimur.

** *** Si Deum assequimur, habemus bonum omne sine defectu (XLVI. 2.); ergo & assecutam Beatitudinem (XLV.).

L. *Beatitudo objectiva.*

1. Essentialiter simus beati, * 2. ut & accidentaliter: ** 3. tam quoad corpus, quam quoad animam. ***

* ** *** Omnia ordinate examinabuntur.

LI. *Essentia Beatitudinis objectiva.*

1. Deus, ut se præbet videndum intuitive, * 2. ac ut se amandum & possidendum tradit, est essentia objectiva Beatitudinis. ** 3. Utrumque simul & semel requiritur. ***

* Cum enim in Visione B. loco speciei impressæ ipse Deus illabatur

tur intellectui (Tract. de Deo. XXXIX. 2.), per Visionem illum consequimur: si assequimur Deum, assequimur Finem ultimum (XLVI. 2.): assecutio Finis ultimi est ipsa Beatitudo (XLIX. 2. 3.); ergo essentia Beatitudinis consistit in Visione Dei.

** Cum in Visione Dei habeatur aliqua species expressa (Tract. de Deo. XXXIX. 1.): hæc vero sit aliquid creatum, finitum; cum causa partialis seu intellectus sit finitus, ac Deus finito modo se communicet; non ita satiabit, quin & voluntas petat satiari; ergo requiritur adhuc amor seu possessio ad satiandum, quæ est conditio Finis ultimi perfecte nos beantis (XLV. 2.).

*** Ne intellectus solus, vel sola voluntas beatificetur.

LII. *Proprietates Beatitudinis.*

1. Ex Visione B. resultat gaudium, perpetuitas, securitas, impeccabilitas. * 2. Non ingrediuntur essentiam; sed accidentia sunt, ** 3. Speciatim impeccabilitas videtur magis ab ex-quam intrinseco explicanda. ***

* *Intra in gaudium Domini tui* Matth. 25. v. 21. *Ibunt in vitam æternam* Matth. 25. v. 46. *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis* Joan. 16. v. 22. Impeccabilitas eo ipso patet; cum alias vera Beatitudo non esset, ubi foret summum malum, nempe peccatum.

** Gaudium resultat ex bono jam possesso. Perpetuitas supponit rem, quæ sit perpetua: est duratio, perseverans existentia, quæ supponit essentiam. Securitas supponit rem ab externo impetu custodiendam. Impeccabilitas fluit ex Bono Summo, quod nullum malum compatitur.

*** Non enim, inquiunt Scotistæ, mutatur ipsum esse intrinsecum voluntatis, quæ est ex essentia libera (Physica). At difficultas est circa exercitii libertatem, quæ datis omnibus requisitis potest agere, vel non agere: sed quomodo absorpta bonis infinitis voluntas poterit non agere; cum agere stante Summi Boni repræsentatione esset Summum Malum, in quod tendere nequit voluntas? Respondetur, eo ipso ab extrinseco impediri, quod hic & nunc objectum ita in ratione boni infinitum repræsentetur, ut nulla prorsus ratio mali appareat.

LIII. *Aureolæ Beatorum.*

1. Per aureolas intelliguntur signa distinctiva unius Sancti ab alio. * 2. Assignantur tres, ** 3. pro Martyrum, Doctorum, ac Virginum distinctione. ***

* Inde ab *aurea* seu corona fit denominatio: sicut per varias coronas Reges distinguuntur.

** *** Aureola Martyrii designatur Apoc. 7. v. 13. ubi de his, *qui venerunt ex magna tribulatione*, dicitur: *amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Aureola Doctoratus colligitur ex Prov. 4. v. 7. & seq. *Posside sapientiam! .... glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.* Aureola Virginitatis Apoc. 14. v. 3. & 4. innuitur: *cantabant quasi canticum novum .... & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia ... Virgines enim sunt &c.*; ergo, inferimus, habuerunt signa distinctiva, quibus dignoscebantur Virgines ab aliis.

LIV. *Dotes Corporis Gloriosi.*

1. Sex assignantur: Incorruptibilitas, Impassibilitas, Agilitas, Claritas, Subtilitas, sensuum in- & externorum objecta gratissima. * 2. Datur explicatio, in quo singulæ dotes consistant. ** 3. Omnes hæ dotes gloriam pariter accidentalem constituunt. ***

* Incorruptibilitas notatur 1. Cor. 15. v. 42. *Seminatur* corpus *in corruptione, surget in incorruptione.* Impassibilitas Apoc. 7. v. 17. *Absterget Deus omnem lacbrymam &c.* Agilitas Sap. 3. v. 7. *Tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Claritas Sap. 10. v. 14. *Dedit illi claritatem æternam.* Subtilitas, seu penetrabilitas Philipp. 3. v. 21. ubi habetur, corpora nostra esse reformanda in similitudinem Corporis Christi, quod per januas clausas ingressum est Joan. 20. v. 26. Sensuum objecta Psal. 35. v. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

** Incorruptibilitas, Impassibilitas: quatenus Deus removet causas corruptionis: corpus vero tamdiu in suo statu permanet, quamdiu ab alio corpore non mutatur (Mechanica).

Agilitas non explicatur per concreatam novam qualitatem: non enim tolleret naturaliter insitam corporum gravitatem; sed consistit in optima nervorum, ac præcipue fluidi nervei constitutione; etsi physice id declarare velle sit satis molestum (Anatomia).

Claritas explicatur per materiæ alicujus rariori similis creationem, qua ambiantur Corpora Beatorum, ut nova quasi superficie instructa mirifica varietate lucis radios repercutiant.

Subtilitas per actus 2di sublationem, quæ est actualis impenetrabilitas (Metaphysica), explicatur.

Sensuum objecta lenissimis motibus nervos, papillasque afficiunt: excitantur in anima ideæ his motibus correspondentes; unde *Torrens voluptatis*.

*** Hæc omnia consequuntur, dum anima jam est beata.

LV. *Beatitudo formalis.*

1. Non una, sed duplici operatione beatitudo absolvitur. * 2. Assecutio initialis fit per intellectum: ** 3. completa per voluntatem amantem. ***

* Hic etiam Scotistæ inter se certant: aliqui in unica operatione voluntatis, nempe in amore amicitiæ essentialiter consistere beatitudinem, existimant, cognitionem intellectus non nisi ut conditionem prærequisitam considerantes. At veriores cum Mastrio duas operationes essentiales statuunt; etsi principaliorem fateantur illam, quæ se tenet ex parte voluntatis. Horum rationes sunt 1*mo*. Quod ipsa S. Scriptura pluribus operationibus beatitudinem exprimat, eam modo visionem, modo gaudium, modo delectationem appellando, imo Deum esse ipsam charitatem 1. Joan. 4. v. 16. affirmando. 2*do*. Idem Patribus vulgare est. 3*tio*. Utraque potentia est beatificabilis. 4*to*. Ad meritum requiritur utriusque potentiæ operatio; ergo etiam ad præmium. 5*to*. Deus non solum videtur, sed & amatur: atqui visio, & amor sunt operationes distinctæ; ergo &c. Quod vero principalius in operatione voluntatis consistat, probant ex eo, quod voluntas proprie feratur in bonum; ac proinde, cum bonum & finis idem sint (XXXVIII. 3.); finis vero sit ipsa beatitudo (XLIX. 2.); voluntas ex propria sua ratione tendat in beatitudinem. Item: quia charitas

ritas teste Paulo 1. Cor. 13. v. 13. omnium operationum est perfectissima.

** (Tract. de Deo. XXXIX. 1. 2.).

*** Id ex membro 1mo eruitur. Cæterum Thomistarum fundamenta sunt 1*mo.* Per intellectum jam fit assecutio, eo ipso, quod Deus ipse vicem speciei impressæ subeat (Tract. de Deo. XXXIX. 2.). 2*do.* Non potest assignari, quinam actus amoris sit consecutivus. 3*tio.* Per amorem trahor, non ego traho objectum, seu assequor. 4*to.* Omnis actus voluntatis est vel desiderium: at hoc supponit objectum absens. Vel fruitio: at hæc supponit objectum jam assecutum. Vel possessio: at & hæc supponit jam rei proprietatem. Vel gaudium, & delectatio: at hæc sunt duntaxat effectus (LII. 1.). 5*to.* Etiam perfecta satietas in S. Scriptura per solam visionem innuitur: Joan. 14. v. 8. *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Psal. 16. v. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* 6*to.* Per visionem B. distingui ajunt statum Viæ, ac Patriæ, cum idem maneat habitus charitatis, sed non eadem visio. 7*mo.* Visio est primum in beatitudine. 8*vo.* Sublata visione tollitur beatitudo. 9*no.* Pœna damni non est nisi carentia visionis. 10*mo.* Amor est indifferens, sive objectum sit præsens, aut non. R. *ad* 1*mum.* Initialis C. completa N. (*). *Ad* 2*dum.* Amor amicitiæ, charitas, Deus in se bonus, actus charitatis tendens in bonum honestum est operatio illa plenarie assecutiva. *Ad* 3*tium.* Per hunc amorem assecutionis traho, per actum desiderii duntaxat trahor. *Ad* 4*tum.* Nullus actus ex his est ex responsione *ad* 2*dum* data. *Ad* 5*tum.* Contradicunt sibi Thomistiæ primo textu: quia possibilitatem visionis præcisivæ contra Scotistas negant (Tract. de Deo. XXXVII. 3.). 2dum textum etiam nos admittimus, quia statim subsequitur amor. *Ad* 6*tum.* Distinguitur per visionem intuitivam ut amori assecutivo junctam. Manet idem habitus; sed actus amoris in Patria ob Bonum possessum est distinctus. *Ad* 7*mum.* Etiam prius natura est animal, quam rationale: attamen utrumque est essentiale. *Ad* 8*vum.* Etiam sublato amore tollitur Beatitudo: sublata visione partialiter tolleretur, si damnato amare liceret. *Ad* 9*num.* Partialis C. totalis N. *Ad* 10*mum.* Amor assecutivus N. desiderans C.

DE MEDIIS AD FINEM HOMINIS.

LVI. *Media ad Beatitudinem.*

1. Beatitudinem mediantibus actibus humanis, * 2. non hominis assequimur; ** 3. unde congrue de iis sermo fit. ***

* ** Finem ultimum, seu beatitudinem actibus præmeditatis, deliberatis, non fortuitis, casualibus, indeliberatis assequimur; alias etiam brutis assecutio finis ultimi foret possibilis.

*** Methodus exigit, ut, sicut Hominis Theologice considerati Initium (I.), & Finem (XXXVIII.) examinavimus; ita modo media, seu actiones humanas, quibus pervenitur ad finem, indigitemus.

LVII. *Notio Actus Humani.*

1. Per actum humanum intelligimus actionem deliberatam, procedentem a voluntate libera, dirigibilem a regulis morum. * 2. Distinguitur ab actu hominis: ** 3. atque a Theologis actus moralis nuncupatur. ***

* Sit interim definitio nominis: si singula fuerint ad trutinam revocata, patebit notio rei. Interim explicatur: dicitur *actio deliberata*, nempe prævia cognitione, præmeditate, non casu, non cœco impetu; alias essent actus hominis: ut si indeliberate spuo &c. Dicitur *procedens a voluntate*: nam actus pure intellectuales non vocamus morales. Dicitur *libera*: deficiente enim libertate actus non est imputabilis ad laudem vel vituperium. Dicitur *dirigibilis a regulis morum*: nempe ut actus substat vel legi naturali, vel Divinæ, vel humanæ, vel etiam conscientiæ legem promulganti. Hæc omnia adhuc melius clarescent.

** Quales, ut diximus, sunt actus in somnio, actus fortuiti &c.

*** Mores enim sic vocantur a regulis; unde boni mores, vel mali mores, prout quis con- vel difformiter ad legem operatur.

LVIII. *Constitutiva Actus Moralis.*

1. Ad essentiam actus moralis requiritur, ut sit voluntarius, * 2. liber, ** 3. dirigibilis a regulis morum. ***

* Statim patebit, voluntarium exigere cognitionem ex parte intellectus, & propensionem ex parte voluntatis. Hoc supposito tolle cognitionem, tolle & propensionem, jam actus erit indeliberatus, actus hominis, actus fortuitus; ergo essentialiter requiritur, ut actus moralis sit voluntarius.

** Idem de libertate dicendum. Tolle liberum; & actus erit contranitente voluntate positus; ergo involuntarius; ergo, sicut voluntarium, ita liberum est de essentia actus moralis.

*** Tandem tolle legem, vel pone actum, qui non possit legis directioni subesse, nescies, an sit moraliter bonus, an moraliter malus? habebis genus sine specie; ergo & dirigibilitas est de essentia actus moralis.

LIX. *Requisitum 1mum, seu Notio Voluntarii.*

1. Ut actus dicatur voluntarius, debet adesse cognitio: * 2. simul & propensio; ** 3. unde & cognitio, ac propensio ad actum moralem essentialiter requiruntur. ***

* Nihil enim est volitum; quin sit præcognitum (Axioma). Tolle cognitionem; jam erit actus indeliberatus, fortuitus, actus somnianti similis.

** Si non adsit propensio, erit actus contranitente voluntate exercitus; at eo ipso non erit a voluntate procedens, non voluntarius. Addidi: *simul*: nam si vel cognitio, vel propensio absit, Voluntarium non erit: bonum enim ex integro (Axioma).

*** Cum enim sint essentia Voluntarii: Voluntarium vero de essentia actus moralis (LVIII. 1.); erunt etiam de essentia actus moralis.

LX. *Notio Involuntarii.*

1. Si vel cognitio, vel propensio desit, erit ille actus simpliciter involuntarius. * 2. Si alterutrum secundum partem desit, erit simpliciter voluntarius, sed secundum quid involun-

 lun-

luntarius; ** 3. unde si vel cognitio, vel propensio desit, actus non erit moralis. ***

* Sicut posita cognitione & propensione habetur voluntarium (LIX. 1. 2.), ita his sublatis involuntarium. Atque inter priorem propositionem (LIX. 1. 2.), & præsentem hæc est differentia: quod, si alterutrum desit, & non utrumque, jam talis actus sit simpliciter involuntarius: malum enim ex quolibet defectu (Axioma). Tolle solam cognitionem, & transgressio legis erit involuntaria: cognosce, hoc objectum esse turpe: at non propendeas, erit actus simpliciter involuntarius; dum in priori casu utrumque simul ad voluntarium requiritur.

** E. g. Metu naufragii projicis merces in mare: ad hanc projectionem propendes quidem, sed non omnimode; hinc est involuntaria secundum quid. Præceptum jejunii media tantum parte cognoscis, erit actus comestionis carnis involuntarius secundum quid.

*** Nempe non erit voluntarius (LIX. 1. 2.); ergo nec moralis (LVIII. 1.).

LXI. *Notitia debita.*

1. Tenemur scire ea, quæ sunt fidei: * 2. universalia legis præcepta: ** 3. singula, quæ ad nostrum statum & officium pertinent. ***

* ** *** Hoc tanquam lemma ex Tractatu de Peccatis, & de Fide, atque ex Ethica supponitur, ibi probandum.

LXII. *Cognitio requisita.*

1. Non sufficit quævis cognitio, sed debet esse antecedens: * 2. non tantum sensibilis quædam & materialis, sed rationalis; ** 3 & quidem actualis. ***

* Si enim antecedenter nesciam, aliquid esse prohibitum: e. g. si antecedenter nesciam, esse diem jejunii, atque inde carnes manducem; ista præcepti transgressio non erit mihi voluntaria; etsi facta jam manducatione mihi innotescat.

** Siquid ex passione, aut concupiscentiæ motibus minime prævisum accidat, id, cum brutis etiam commune sit, non erit character actus mo[illegible]. ***Ad-

*** Admodum clare hanc veritatem in conſcientiæ noſtræ ſublevamen S. Scriptura exprimit, ut attoniti in Authore Italo legerimus ſcommata, quibus noſtræ ſententiæ Patronos afficit, quorum comparatione leves hæreſes Pelagianam & Janſenianam vocitare temere præſumit. 1*mo.* Id exprimitur Joan. 9. v. 41. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum.* Item c. 15. v. 22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Rom. 5. v. 13. *Uſque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet.* 2*do.* Omne peccatum eſt contra legem: atqui ut cognitam (Tract. de LL. III. **); alias non imputatur. 3*tio.* Peccatum eſt volitum actu; ergo & actu debet eſſe præcognitum. 4*to.* Lutheri, & Janſenii error eſt, quod ignorantia invincibilis ſit peccaminoſa: idem recoxit Bajus; unde damnata eſt propoſitio 68va: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* Aſt audiamus hujus Itali rationes, quas e ſuo penu Rhetorico in compendio proferimus. 1*mo.* Pelagii error eſt, non dari ignorantiæ peccata: at hoc ſequeretur, ſi actualis cognitio ſit neceſſaria ad peccatum. 2*do.* Dantur peccata ex conſcientia vincibiliter & culpabiliter erronea: atqui conſcientia talis non eſt juncta actuali advertentiæ. 3*tio.* *Septies in die cadit juſtus* Prov. 24. v. 16.; etſi vix advertenter peccet. 4*to.* Datur voluntarium interpretativum, indirectum, quod non requirit expreſſam, actualem volitionem: ſed ſufficit, quod homo poſſit, & debeat velle, peccatque tunc omittendo; ergo & datur interpretativa cognitio in eo conſiſtens, quod deberet addiſcere, cognoſcere. 5*to.* Sequeretur, quod nullus hæreticus peccaret; cum habeat judicium erroneum, credens, ſuam eſſe veram fidem. 6*to.* Excuſarentur omnes nummularii, uſurarii &c., qui vix cogitant, ſe peccare. 7*mo.* Damnata eſt hæc propoſitio ordine 2da ab Alexandro VIII. 24. Aug. 1690. *Peccatum Philoſophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Hæc & alia congerit cum ingenti Religioſæ modeſtiæ exceſſu ille Italus. At ℞. *ad* 1*mum.* Fatemur dari ignorantiæ peccata: at in cauſa ſolum: ſic neſciens eſſe diem ſacrum culpabiliter in cauſa peccat, quod ſupinus in indagando fuerit, quam obligationem

ſcire ſupponitur. *Ad 2dum.* Eadem eſt reſponſio. *Ad 3tium.* Ad peccata venialia datur ſaltem ſemi-notitia; unde non integrum mortale conſtituunt, ſicut non ſunt ex integro voluntaria. *Ad 4tum.* Caſus eſt, dum in ebrietate quemdam occidis: requirunt Theologi, ut iſta occiſio imputetur, quod ſit prævisa ut ſecutura ex hac cauſa. Sic ebrietatem Noe excuſant, quia vini fortitudinem neſciit. Sic in altero caſu requiritur cognitio, quod habeat obligationem addiſcendi. *Ad 5tum.* Hæreticus vincibiliter ignorans peccat in cauſa, non indagando veritatem. *Ad 6tum.* In cauſa peccant, habitus vitioſos contrahendo, quorum proin & actus imputantur. *Ad 7mum.* Error in hoc eſt, quod dicant eſſe peccatum grave, ſed non offenſam Dei. 2dus error, quod putent, dari peccatum contra rectam rationem, ac ſimul adeſſe in hoc gravi peccato ignorantiam Dei. Oppono damnatam propoſitionem Baji probatione 4ta adductam. Cæterum Pelagius e diametro oppoſitam Janſenio ſententiam tenuit: ille nullum prorſus ignorantiæ peccatum admiſit; hic etiam invincibilem ignorantiam ſtatuit eſſe peccaminoſam. Abludit ab utroque noſtra ſententia, ac, ſicut uterque per exceſſum peccavit, ita noſtra ſententia medium tenendo vere catholica eſt. Contra Pelagium dicimus, ignorantiæ culpabilis dari peccata, prout in cauſa peccatur, quam voluntarie ponimus; etſi tunc, cum effectus ſubſequitur, non adſit actualis cognitio, ſufficit in cauſa prævidiſſe, ut imputetur. Voluntarie te inebrias ad ſepulturam rationis: in ebrietate varia committis crimina urgente concupiſcentia: hæc ob cauſam voluntarie poſitam imputantur. Abludimus a Janſenio; prout ex terminis patet. Invicte ergo contrariæ ſententiæ Patronos urgemus: medium tenere nolunt; ergo neceſſe eſt, ut vel in Janſenii, vel Pelagii extrema incidant.

LXIII. *Ignorantia notio.*

1. Ignorantia, ſeu carentia debitæ notitiæ in ſubjecto apto dividitur ratione ſubjecti in invincibilem, ac vincibilem, & in inculpabilem, ac culpabilem: hæc in affectatam, & craſſam: * 2. ratione objecti in ignorantiam juris, & facti: ** 3. ratione actionis in antecedentem, concomitantem, & conſequentem. ***

* Si enim notitia aliqua subjecto non sit debita, ut Astronomia Sutori, est nescientia, non ignorantia.

Ignorantia invincibilis est carentia notitiæ debitæ (LXI.) in subjecto apto, quam nec possit quis acquirere, adhibita diligentia summa, seu majori, quam alias Viri prudentes & graves solent adhibere. Vincibilis vero erit, si possit adhibita illa diligentia superare, ut habeat notitiam. Sic Jacob fuit in ignorantia vincibili: quia, si summam diligentiam adhibuisset, Liam facie, ac verbis cognoscere potuisset.

Ignorantia inculpabilis est carentia notitiæ, adhibita ea diligentia, quam Viri timorati ac prudentes adhibere solent. Culpabilis, si non adhibeat quis hanc diligentiam. Hinc ille prædictus Jacobi cum Lia congressus fuit ex ignorantia inculpabili, at non invincibili.

Culpabilis dividitur in crasse, & affectate culpabilem. *Crasse* culpabilis ignorantia est carentia notitiæ, dum nullus conatus adhibetur, sciendi ea, quæ debent sciri. *Affectate*, si ex industria hæc ipsa scire nolis. In 1mo habet ignorantiam, qui non quærit ex incuria, an sit dies jejunii: in 2do, qui studio non quærit, ne cogatur jejunare.

** Ignorantia *juris* est carentia notitiæ, quid lege vel naturali, vel divina, vel humana prohibeatur. *Facti* est carentia notitiæ, an res aliqua contigerit.

*** Ignorantia antecedens dicitur, si actus a te ponendus nec in se, nec in alio prævideatur: e. g. si occidas inimicum, at putes esse feram, hæc occisio nec erit prævisa in se, nec in sua causa. Inde est, quod confundatur cum ignorantia inculpabili saltem; cum ad culpam imputari non possit, quod nullo modo est cognitum. Huic opponitur consequens, dum actus, quem ponis, non quidem in se, bene vero in sua causa prævidetur: e. g. occisio in ebrietate facta erit ex consequenti ignorantia profecta, si hic actus in causa prævideatur, dum voluntarie te inebrias; cum supponatur, te non latere, quod crapula funestas ejusmodi sequelas post se trahat. Inde hæc ignorantia cum culpabili solet confundi, ac pro varietate culpæ erit consequens crassa, vel affectata. Mediat inter has extremas ignorantias per participationem utriusque ignorantia concomitans: si actus a te positus nec in se, nec in causa fuerit prævisus; attamen exinde volitus, ut posuisses, etsi scivisses,

visses; participat ob λ*n etsi scivisses* de ignorantia consequente (LXIII. ***): quia tamen non scivisti, participat de ignorantia antecedente (loc. cit.).

NB. Ast si a sensu a Theologis recepto ad grammaticalem ac literalem attendere lubeat, vix subsistit hæc communis Theologorum theoria. Quæso! ignorantia antecedens illa ipsa sit, quæ vel invincibilis, vel inculpabilis dicatur: quasi vero supine negligens in sciendo causam ut & effectum (quæ ignorantia est antecedens), eo ipso inculpabilis dicatur. Sane notitia illa debita (XLI.) non minus causam respicit quam effectum. Melius itaque ignorantia antecedens dividitur in culpabilem, ita, ut stante hac notione ignorantia antecedens culpabilis sit eadem, quam Theologis consequentem placet denominare.

LXIV. *Ignorantia effectus.*

1. Antecedens in data notione tollit voluntarium simpliciter. * 2. Consequens causat indirecte voluntarium. ** 3. Concomitans non tollit voluntarium simpliciter: nec positive causat involuntarium, sed mediat: id est, actus non erit involuntarius. ***

* Cum enim coincidat cum inculpabili (LXIII. ***), adeoque nulla sit cognitio, vel talis tantum, quæ non exigi poterit (LXIII. *); eo ipso deficiet requisitum essentiale ad voluntarium simpliciter (LIX. 1.).

NB. Non in sensu stricto, literali, grammaticali, sed Theologico jam civitate donato.

** Tunc enim causa, & non effectus erit prævisus (LXIII. ***); quod idem est ac indirecte voluntarium: seu, prout habet communis notio *indirecti*, quod non ratione sui, sed ratione alterius fit.

NB. Consequens in sensu pariter Theologis assuefacto confunditur cum antecedente culpabili &c.

*** Ex parte adest cognitio, conditionata nempe; ergo non erit simpliciter involuntarium (LIX. 1.): seu non tollit voluntarium simpliciter. Non etiam positive voluntarius est talis actus, quia positive non cognovit fuisse inimicum. Mediat itaque; siquidem, cum tamen fecisset, si cognovisset, propensio adest, ac conditionata cognitio; quæ non poterunt melius exprimi, quam per terminos prædictos.

LXV. *Propensio requisita.*

1. Ut actus dicatur voluntarius, debes ita propendere, ut desiderium aliquod circa actum eliciatur, quem committere vis. * 2. Desiderium hoc vel debet esse interpretativum, vel formale. ** 3. Deficiente hoc desiderio actus moralis non erit. ***

* Si enim tantum cognoscam, nondum possum dici, quod illam rem velim: sequeretur, quod quivis studens casibus, matrimonii debitum attingentibus, peccaret, si jam posset dici voluntarium illud, cui operam navo.

** Sic, qui actu furatur, haud dubie habuit furandi desiderium; adeoque implicite, virtualiter aderit desiderium. Porro etiam expresse desiderat, qui sibi conscius est de appetitu hujus vel illius rei præceptæ, vel prohibitæ, vel indifferentis.

*** Cum enim cognitio & propensio simul requiratur ad voluntarium (LIX. 1. 2.), sola propensione ablata erit involuntarium (LX. 1.); ac, quia propensio desiderium exigit (*), hoc sublato non erit propensio, non voluntarium, non morale (LX. 3.).

LXVI. *Notio Violentiæ.*

1. Violentum est, quod fit contra nostram propensionem.* 2. Si ab intrinseco propensioni repugnat, vocatur vis: ** 3. si ab extrinseco, vocatur coactio. ***

* Sicut enim non possumus simul velle & nolle, ita non possumus propendere & non propendere; ergo bene violentum definitur esse id, quod tollit propensionem.

** Sic, si voluntati non nisi purum bonum offeratur, vis ipsi infertur; cum non possit velle malum (Physica).

*** E. g. si cogaris in carcere manere, tunc non auditio Missæ non erit tibi voluntaria.

LXVII. *Effectus Violentiæ.*

1. Violentia, vis, & coactio tollunt voluntarium.* 2. Si tollant propensionem totaliter, erit talis actus simpliciter involun-

luntarius: ** 3. si secundum aliquid, erit involuntarius secundum quid. ***

* Cum enim tollant propensionem (LXVI.); propensio vero sit essentialis voluntario (LIX. 2.); necesse est, ut & tollant voluntarium.

** (LX. *).

*** (LX. **); ac per consequens talis actus etiam moralis erit secundum quid.

LXVIII. *Metus Notio.*

1. Metus est mentis trepidatio ob instans periculum. * 2. Dividitur pro ratione periculi in gravem, seu cadentem in constantem Virum, & levem. ** 3. Id attendendum: ut metus sit gravis, non sufficit grave periculum; sed oportet, ut simul sit imminens. ***

* ** Est definitio, ac divisio passim recepta.

*** Mors enim non imminens, etsi gravis, non graviter afficit.

LXIX. *Effectus Metus.*

1. Metus, etsi cadat in constantem Virum, non tollit voluntarium simpliciter: * 2. sed facit involuntarium secundum quid. ** 3. Metus gehennæ salutaris, quo detestamur peccata, nihil habet involuntarii. ***

* Trepidatio enim non tollit de se cognitionem, vel propensionem; imo, quia cognoscit periculum, ponit actum, ac in eum ponendum propendet metu adactus; ergo eo ipso adsunt constitutiva voluntarii (LIX. 1. 2.).

** Interim, quia, si periculum abesset, actum non committeret, non propendet ita, quin absente periculo prorsus non propenderet; tollitur ergo propensio secundum partem; quod idem est ac involuntarium secundum quid (LX. 2.).

*** A Trident. Sess. 14. cap. 4. requiritur ad hoc, ut timor gehennæ sit salutaris, ejusmodi timor, qui excludat affectum peccati; ergo non debet esse talis, ut adhuc partialiter propendeat in peccatum. Quod vero talis gehennæ timor dabilis sit, qui prorsus excludat propensionem ad peccatum,

etsi

etsi illud pure ex metu fugiat peccator, prout supponit attritio formidolosa, est suppositum Tridentini; alias salutarem vocare non posset, ac dispositionem vel remotam, vel proximam, prout in Scholis lis est, Sacramenti Pœnitentiæ. Nec desunt momenta: nullam in terminis repugnantiam videmus, metuere pœnas, ac proinde omnimode detestari peccata: libertatis effectus est, ut ex timore serviliter servili fiat simpliciter talis, ita, ut simul fugiat peccatum propter pœnam, simulque affectum, qui denuo esset dignus gehenna, deponat. Frustra S. Scriptura Timorem Domini adeo nostris mentibus commendaret, nisi affectum per illum ad peccata excludi inferret. Abstrahimus, quibusdam placere, ipsum timorem hunc amori junctum esse; cum pœna timenda non foret, nisi voluntas in sui felicitatem ac bonum ferretur amore. Fusius hæc Sacramentum Pœnitentiæ explicabit.

LXX. *Concupiscentia Notio.*

1. Concupiscentia est motus, seu passio appetitus sensitivi prosequentis bonum delectabile cum vehementia. * 2. Antecedens est, dum voluntatem movet ad volendum id, quod delectat. ** 3. Consequens est, dum voluntas adeo ardenter cupit, ut excitetur in appetitu inferiori passio. ***

* Communis definitio.

** Atque inde voluntatis actus est effectus ejusmodi passionis: quia nempe passio exurgit circa pecuniam Petri; ideo voluntas se determinat ad furandum.

*** E contrario, si ardenter concupisco aurum, ut exurgat passio illud furandi, erit concupiscentia effectus voluntatis.

LXXI. *Concupiscentia Effectus.*

1. Concupiscentia, si præveniat rationem omnem, tollit voluntarium: * 2. si non præveniat, auget voluntarium: ** 3. si turbet rationem, minuit. ***

* Deficit tunc cognitio ad voluntarium essentialiter requisita (LIX. 1.): id patet in motibus primo-primis.

** Tunc adest cognitio, ut supponitur, ac augetur propensio;

eum bonum eo magis prosequatur voluntas, quo sensibilius est ac delectabilius: ergo augetur voluntarium (LIX. 1. 2.).

*** Perfectum tunc voluntarium ex parte cognitionis non erit; hinc involuntarium secundum quid dici posset (LX. 2.). Rationes, quæ huic theoriæ objici possent, sunt 1*mo*. Sequi, quo libidinosior quis sit, eo minus imputari actum; cum ratio turbetur. 2*do*. Sequi, quod obcœcatus, non amplius penetrans legem, ac rationem sepeliens non peccaret; cum ratione sepulta talis actus voluntarius non esset. At ℞. *ad* 1*mum*. Peccari tunc in causa, cum sponte passionibus indulgeat, ut turbetur ratio, sicut, dum inebrians quemdam occidat. *Ad* 2*dum*. Pariter ob causam positam similium criminum se talis facit reum: primis oportet concupiscentiis non ita sævientibus resistere, ne malignus resultet in membris habitus.

LXXII. *Requisitum 2dum, seu Libertas.*

1. Alterum constitutivum actus moralis est libertas, * 2. non contrarietatis, ** 3. sed contradictionis. ***

* Pone, ut non sis liber: quomodo tibi imputari actus ad laudem vel vituperium poterit? Laus est cognitio excellentiæ operis cum approbatione & imputatione: Vituperium est cognitio malitiæ moralis cum improbatione & imputatione: at quomodo tibi adscribi & imputari poterit, si liber non sis?

** Etsi enim ad amorem & odium, vel ad actus, qui contrarie opponuntur, simus liberi hac libertate: non tamen ad bonum & malum; cum malum qua tale non possit esse voluntatis objectum, sed noluntatis (Physica).

*** Requiritur libertas (*): non contrarietatis (**); ergo contradictionis: aliam enim divisionem libertas generica non habet.

LXXIII. *Qualitas hujus Libertatis.*

1. Ut actus sit moralis, requiritur libertas non solum a coactione, * 2. sed & a necessitate immunis. ** 3. Inde actus Beatorum non sunt morales. ***

* ** Liber a coactione est, qui agit spontanee, seu, qui ab extrinseco non cogitur: tali libertate, seu spontaneitate potius, gaudet equus a nemine impulsus. At eo ipso, quia communis

talis libertas bruto est, non erit actus moralis, deliberati, seu humani (LVII.) principium.

*** Omittere enim bonum non possunt; cum sit infinite bonum, ac ut tale cognitum: ubi omissio esset summum malum eo ipso, quia infinite bonum ut tale cognitum non patitur amoris omissionem; alias non esset infinitum.

LXXIV. *Error Jansenii.*

1. Errabat Jansenius, nullam nisi libertatem a coactione admittendo: * 2. erravit, talem sufficere ad actum moralem, asserendo. ** 3. Risu digni sunt ejus asseclæ, qui in libris Jansenii hanc tantummodo libertatem adstrui negant. ***

* Contra Trident. Sess. 6. can. 4. *siquis dixerit, liberum hominis arbitrium ... non posse dissentire, si velit ... anathema sit.* NB. *si velit*; non: *si non cogatur.*

** Eo ipso, quod conditionem hominis cum bruto confundat (LXXIII. *).

*** Convincuntur sequentibus. *1mo.* Alexander VII. definiit, quinque propositiones ex libro Jansenii fuisse excerptas, & in sensu a Jansenio intento damnatas. *2do.* Jansenius l. 6. de Grat. Christi c. 24. docet, *opus esse .... meritorium vel demeritorium ex hoc, quod est voluntarium, spontaneum, non coactum; tametsi sit determinatum ad unum.* *3tio.* L. 3. cit. c. 13. docet, *esse præcepta quædam, quæ ... justis volentibus, conantibus secundum præsentes, quas habent, vires sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant;* neque tamen excusari a peccato &c. *4to.* L. 4. cit. c. 6. & alibi ait: *quod amplius delectat, secundum id operari necesse est:* scilicet si major sit delectatio gratiæ, quam concupiscentiæ, voluntas necessitatur ad bonum: si major sit delectatio concupiscentiæ, quam gratiæ, necessitatur ad malum: atqui qui necessitatur, non est liber a necessitate. Excusant eum *1mo.* Quia passim admittit liberum arbitrium in homine lapso. *2do.* L. 8. cit. c. 20. in terminis docet, *etiam sub gratia* nos habere *indifferentiam contrarietatis, & contradictionis.* *3tio.* L. 6. c. 34. adstruit, Viatorum libertatem *non solum esse expertem coactionis, sed etiam necessitatis immutabilis &c.* *4to.* Admittit gratias sufficientes. *5to.* Sæpe docet, voluntatem cuicunque gratiæ, vel concupiscentiæ pos-

se resistere, si velit. At ℞. *ad 1mum.* nomine C. re N. *Ad 2dum.* Per indifferentiam intelligit meram flexibilitatem passivam, quatenus voluntas possit modo per gratiam victricem in bonum, modo per victricem concupiscentiam in boni omissionem, & malum moveri: ac per hoc Viatores a Beatis distinguit, qui semper ad bonum, nunquam ad malum possunt determinari. *Ad 3tium* eadem est responsio. *Ad 4tum.* Relate ad statum lapsum N. ad integrum C. (Tract. de Deo. LXXVIII. *). *Ad 5tum.* D. sic tamen, ut non possit velle C. ut possit velle N. Etiam de Beatis l. 6. cit. c. 35. docet, eos posse mutare volitionem, si velint: velle autem, inquit, non possunt.

LXXV. *Requisitum 3tium, seu Regulæ Morum.*

1. Tertium constitutivum actus moralis sunt regulæ morum; * 2. per has intelligimus unam remotam, ** 3. alteram proximam. ***

* Sepone regulas morum! brevi audies, hominem nec bene, nec male, imo nec indifferenter operari: foret genus sine specie: qualis hircocervus!

** Lex naturalis (Tract. de LL. VII. 1. IX. 1.), Divina (loc. cit. XVII. XIX.), & humana (loc. cit. XXI.).

*** Regula proxima est conscientia, ut dicemus.

LXXVI. *Directio harum Regularum.*

1. Ut actus dicatur moralis, debet esset dirigibilis ab his regulis: * 2. ut vel præcipiant, vel prohibeant, ** 3. vel permittant.

* Mores enim vel sunt boni, vel mali, vel indifferentes, ut dicemus: in 1mo casu sunt con- in 2do difformes aliquibus regulis, in 3tio abstrahunt. Ast pone, quod non dirigantur, nemo sciret, qui bene vel male ageret; ergo cum non detur species sine genere, nec vicissim (Metaphysica), necesse est, ut a quibusdam regulis mores dirigantur. Lex est norma (Tract. de LL. I. **), certo non actionum brutalium, sed humanarum.

** Si

** Si lex quidpiam præcipiat, ac huic conformiter opereris, erit actus bonus: si prohibeat, attamen agas, erit malus.
*** Si permittat, est actus indifferens.

LXXVII. *Applicatio Regularum.*

1. Hæ regulæ nostris actibus applicari debent: * 2. id fit, si actiones nostras cum iis comparamus; ** 3. quod per synteresin, conscientiam, dictamen, regulante prudentia exequi possumus. ***

* Frustra alias lex ac norma poneretur.
** Nempe an sint con - vel difformes regulis.
*** Id statim clarius patescet, dum syllogismum moralem proponemus.

LXXVIII. *Synteresis.*

1. Per synteresin intelligimus principia universalissima.* 2. Habet se per modum regulæ; etsi sit tantum applicatio legis æternæ. ** 3. Hujus ignorantia dari non potest. ***

* Hæc est communis notio (Tract. de LL. IX.***).
** Nam spectat ad jus naturæ, cui promulgatio est essentialis (Tract. de LL. IX.**); est ergo ipsa promulgatio, seu applicatio legis æternæ, quatenus illam generaliter promulgat: sed ubi promulgatio est essentialis, habet rationem quasi novæ legis; ergo synteresis est regula, etsi sit tantum promulgatio.
*** In tres classes dividunt Theologi juris naturæ præcepta: in 1ma classe constituunt universalissima (LXXVIII. 1.*): in 2da proxime fluentia (loc. cit.**), ut adulterii crimen, furtum &c. in 3tia classe præcepta remotiora ponunt, e. g. circa præceptum, ut quidam existimant, sequendi in omnibus probabiliora, referendi prorsus actus omnes ad finem ultimum, circa contractus, ut volunt, usurarios; imo etiam circa præcepta 2dæ classis, ut in aliqua cohonestante circumstantia posita, ut mentiri leviter ad salvandàm innocentis vitam &c. In præceptis 1mæ & 2dæ classis in homine non dari ignorantiam invincibilem inculpabilem passim conveniunt: quæ enim innata sunt, quæ cordibus insculpta, eo ipso, quia talia sunt, igno-

ignorari non possunt, sunt per se nota. Porro ea, quæ facile deducuntur tenui ratiocinio, ut furtum, adulterium, occisio &c., etiam in homine adulto rationis capaci locum non habent, ut sit invincibilis ignorantia, eoipso, quia facillime patent.

At in 3tia classe disputant. Rationes eorum, qui non posse dari ignorantiam prætendunt, sunt *1mo.* Quia nulla lex est observatu impossibilis; ergo etiam nulla datur lex, quæ non sit cognoscibilis. Consequentia patet: quod enim non potest cognosci, non potest observari (LXII. 3.). *2do.* Dependet id a gratia efficaci, quæ illuminet: at hanc oratione impetramus; ergo orandum, ut illuminemur. *3tio.* Deus *illuminat omnem hominem* Joan. 1. v. 9.: nec denegat gratiam ac lumen facientibus, quod est in se. *4to.* Concupiscentia & ignorantia sunt effectus labis originalis: atqui omnis concupiscentia est vincibilis; ergo & ignorantia. *5to.* Deus tenetur providere de necessariis ad salutem: atqui juris naturæ præcepta sunt necessaria ad salutem; cum actus illi oppositi sint intrinsece mali (Tract. de LL. X. 2.). *6to.* Posset quis adhibere diligentiam summam; ergo si non adhibeat, erit culpabilis ignorantia. ℞. *ad 1mum.* Nulla lex cognita C. incognita N. *Ad 2dum.* Oraverunt D. Thomas & D. Bonaventura: uterque habuit gratias efficaces: conversionem statim post peccatum obligare posterior contendit, prior negavit. Jacob & Noe erant Deo dilecti: attamen in gravissima peccata materialia ex ignorantia cecidere: ille in fornicationis crimen, hic in ebrietatem. S. Hieronymus docuit simulationem: Cassianus mendacium officiosum: D. Thomas licitam esse innocentis damnationem ex allegatis, & probatis. Sane Providentiam Divinam (ut & ad *3tium* respondeamus) se eousque extendere, ac mundum in hisce non relinquere disputationi, nondum evictum est. Illuminat hominem circa necessaria ad salutem, non circa alia; secus quivis justus foret præstantissimus Theologus. *Ad 4tum.* Quoad motus C. M. quoad consensum N. M. Consensum in ignorantiæ peccatum cohibes, si adhibeas moralem diligentiam. *Ad 5tum.* D. m. communia 1mæ & 2dæ classis C. 3tiæ classis N. *Ad 6tum.* Nisi Deus voluisset esse absconditum C. si voluit N. Patet ex responsione ad *2dum*, etiam Viris sanctissi-

ctissimis, doctissimisque similia fuisse impervia: nec supponendum est, diligentiam summam his Viris defuisse.

LXXIX. *Syntereseos Obligatio.*

1. Tenemur juxta, nunquam licet contra eam agere.* Actiones huic conformes non possunt esse nisi ad summum materialiter malæ.** 3. Est aliquando immediata, aliquando mediata Major.***

* Eo ipso, quia est legis æternæ compendium universale, vel quia applicat legem æternam ad actiones, erit regula in tempore promulgans (LXXVIII. 1. 2.); ergo inducit obligationem (Tract. de LL. V. 1.).

** E. g. mendacium credit ancilla esse bonum in casu avertendi infortunii: en! synteresis recta est: *malum fugiendum*: ac facit, ut actio non sit nisi materialiter mala.

*** In dicto casu erit immediata Major. At si dicas: non licet operari serviliter die festo: atqui hæc actio est opus servile &c.; tunc synteresis est Major remota; nempe ideo non licet, quia est prohibitum: agere contra prohibitionem est malum: malum est fugiendum.

LXXX. *Prudentia.*

1. Prudentia facit conclusionem universalem:* 2. etiam hæc est regula.** 3. Concurrit ad Syllogismum conscientiæ pariter tanquam Major vel proxima, vel remota.***

* E. g. sit synteresis: *non est faciendum alteri, quod tibi non vis fieri; ergo*, infert prudentia, *alterum lædere, defraudare non licet: non est ditescendum ex alieno.*

** Est enim ipsa synteresis concludens (*): sed hæc est regula (LXXVIII. 2.); ergo etiam &c.

*** E. g. si dico: *alterum lædere non licet: atqui usura est læsio; ergo &c.*; erit Major proxima; cum sit ipsa conclusio prudentiæ (*). Remote fieret hoc modo: e. g. sit synteresis: *malum est fugiendum; ergo*, inferat prudentia, *præcepta sunt servanda*: fiat syllogismus: *audire Sacrum præceptum est: atqui, qui tantum adest corpore, non mente, non audit Sacrum; ergo non satisfacit præcepto. Qui non satisfacit, præceptum non servat:*

servat : malum non fugit. En! tam prudentiæ conclusio, quam syntereseos Principium sunt Major remota.

LXXXI. *Conscientia.*

1. Conscientia est applicatio propositionis universalis ad actionem singularem : * 2. facit *minorem* in syllogismo morali. ** 3. Pro varietate hujus syllogismi etiam varia est conscientia. ***

* ** E. g. Synteresis & prudentia habent hanc Majorem : *non est faciendum alteri, quod tibi non vis fieri : nemini ditescendum est ex alieno :* atqui usura moderata est *ditescentia ex alieno, vel non est*, subsumit conscientia.

*** Cum syllogismus sit, necesse est, ut ejus naturam sequatur; ergo sicut varii sunt syllogismi, ita varie dividi conscientiam, audiemus.

LXXXII. *Conscientiæ Obligatio.*

1. Conscientia, etsi sit tantum promulgatio, habet tamen veram legis rationem ;* 2. unde regula proxima, norma, seu lex nostrarum actionum moralium jure vocatur. ** 3. Ejus effectus est, ut actus pro diversitate conscientiæ sit bonus vel malus. ***

* Promulgatio, quæ per conscientiam fit, ab ipso Legislatore ut conditio essentialis apponitur; ergo habet ex voluntate Legislatoris Divini quasi novæ legis rationem. Declaratur id per S. Scripturam Rom. 14. v. 23. *quod non est ex fide*, seu, prout est communis interpretatio, quod non est ex conscientia, *peccatum est.*

** Lex remota est jus naturale, Divinum, & humanum (LXXV. 2. **); ergo lex proxima erit promulgatio harum legum, seu ut eas sibi applicat innocue conscientia.

*** Luc. 19. v. 22. *De ore tuo te judico.* Item 1. Reg. 16. v. 7. *Deus autem intuetur cor*; ergo, qualis fuerit conscientia, talis & actus erit.

LXXXIII. *Dictamen.*

1. Dictamen est conclusio particularis in syllogismo mo-

rali.

rali. * 2. Pro ratione conclusionis est vel speculativum, vel practicum: ** 3. directum, & reflexum. ***

* E. g. in dato syllogismo infertur: *ergo usura moderata est licita, vel illicita*, prout *minor* facta est a conscientia: nempe se habet dictamen ad conscientiam, sicut prudentia ad synteresin (LXXX. 1. *).

** Si quæstio juris per hoc dictamen decidatur, vel indagetur, an id, de quo quæritur, sit licitum, vel illicitum, vocatur dictamen speculativum. Si sit quæstio de facto, seu de actione ponenda vel non ponenda, est dictamen practicum. E. g. conclusio prædicta est dictamen speculativum: an hic talem exercere liceat, est dictamen practicum.

*** Si conclusio directe ex præmissis infertur, prout quævis conclusio sequitur, erit directum. Si aliunde principia super directam conclusionem petantur, ac nova conclusio eliciatur, erit dictamen reflexum.

LXXXIV *Character peculiaris hujus Dictaminis.*

1. Ad dictamen speculativum non requiritur moralis certitudo: * 2. bene vero ad dictamen practicum; ** 3. cujus notio diligenter est attendenda. ***

* Nam dictamen speculativum versatur circa quæstionem juris, non circa actionem (LXXXIII.**): illius decisio vel sæpius non potest haberi, vel tuum non est, illam decidere. Sic sit quæstio juris, an bellum sit justum? etiamsi dictamen tuum sit dubium, attamen, si practice te resolvere ex aliis principiis poteris, licite bellum adibis. Quæso! quis tot quæstionum dissidia componet, ut in illis certam habeas conclusionem? Imo, si sis speculative dubius, licite te in praxi ex aliis principiis resolves. Non speculatio, sed malæ praxes nocent.

** Tunc enim, si agere oportet, non licet se committere peccandi periculo: debes esse certus, te non peccare illa actione, quam cupis ponere.

*** Sumus moraliter certi, si non adsit dubium prudens, quod illicita sit actio, quam intendimus. Non consentimus iis, qui tunc quempiam moraliter certum credunt, si habeat tantam certitudinem, qua major haberi non potest. Hi necessitati sequendi probabiliora hac definitione præludunt. Dubium

porro prudens habere dicimur, si ex omnibus principiis simul sumptis non possimus formare dictamen de excludendo peccato. Prudenter autem operari dicimur, si non temere, non levi, sed gravi motivo, quod Virum gravem movere possit, ducti operemur. NB. Procederemus in infinitum, quis sit prudens, quis censeatur gravis Vir, qualis assensus sit gravis: operandum modo humano: ratio dictat, quid mulierculam, quid Virum moveat ad prudentem assensum.

LXXXV. *Conscientia Erronea.*

1. Conscientia erronea peccat vel in forma, vel in materia; * 2. idque invincibiliter, vel vincibiliter: ** 3. culpabiliter, vel inculpabiliter. ***

* In forma peccares, si non observares regulas syllogismi: e. g. si diceres: ex alieno non licet ditescere: atqui mendacium non est ditescentia ex alieno; ergo est licitum. In materia errares: e. g. atqui usura mordens non est ditescentia ex re aliena; ergo &c.

** *** Pro diversitate ignorantiæ (LXIII. *) contingit error, qui est judicium falsum, præsupponens cognitionem falsam.

LXXXVI. *Obligatio Ejus.*

1. Conscientia erronea tam vincibilis, * 2. quam invincibilis obligat, ut eam sequaris: ** 3. cognitam deponere teneris. ***

* ** Supponitur, quod sit inculpabilis, quæ tamen vinci posset (LXIII. *): at hic & nunc non advertis, te agere illicite, sed persuasum pro hoc momento habes, adesse obligationem: secus, si sit cognita aut consequens (LXIII.*), spectabit ad membrum 3tium. Enimvero, cum conscientia sit lex (LXXXII. 1.); lex vero omnis obliget (Tract. de LL. V.); ac præterea requiratur cognitio actualis (LXII. 3.), quæ non stat cum ignorantia utraque (LXIII. 1.); patet, cur hic & nunc eam sequi teneamur.

*** Si enim cognoscis, tunc scis, te agere contra legem, quod utique non licet (Tract. de LL. V.).

LXXXVII. *Conſcientia Dubia.*

1. Si pondera rationum ſint pro utraque contradictionis parte æqualia, oritur conſcientia dubia. * 2. Neutram tunc ſequi contradictionis partem licet. ** 3. Si tamen actio ſit neceſſario ponenda, vel omittenda, ex quibusdam dictaminibus reflexis ſe reſolvere oportet. ***

* Nempe ſi 4. rationes ſtent pro minori, quod contineatur in Majori: e. g. uſuram moderatam contineri in Majori, ſeu in diteſcentia ex re aliena: 4. vero rationes probent, non contineri.

** Non enim poſſes concluſionem magis inferre, quam non inferre, quod eſſet diteſcentia ex re aliena, quam, quod non eſſet. Porro quodnam hic eſſet dictamen moraliter certum (LXXXIV. **)?

*** Fit quandoque, ut actio fieri debeat: e. g. quod Communitas ſine iſtis uſuris conſervari non poſſet, tunc ad principia reflexa recurrendum.

LXXXVIII. *Principia Reflexa.*

1. Diverſa principia reflexa in Jure Canonico, & Civili præſto ſunt. * 2. Hæc ſerviunt, ut quis in dubio ſe reſolvere poſſit. ** 3. Unum ex iis omnium tutiſſimum, ſed non neceſſarium. ***

* Sequentes ſunt regulæ: *1ma.* In his, quæ dubia fuerint aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, neç decretis Ss. Patrum inveniatur adverſum. c. ſicut quædam. diſt. 14. *2da.* Melior eſt conditio poſſidentis. arg. ex reg. 65. Juris in 6to. *3tia.* In dubio factum non præſumitur, ſed demonſtrari debet. arg. ex l. in bello ff. de capt. & poſtliminio. *4ta.* Præſumptio eſt pro valore actus, ſeu quod actus valeat. arg. ex l. in contrahenda. ff. de reg. Juris. *5ta.* Semper in dubiis benigniora ſunt præferenda. reg. 56. ff. de reg. Juris. *6ta.* In dubio tutius eſt eligendum. c. Juvenis. de Sponſalibus. c. Illud. de Clerico excom.

** E. g. dubitas, an præſcriptione jam inchoata res non ſit aliena? an debitum, quod prætendis, ſit legitimum? an teſtamentum inſolenne occultæ compenſationi locum præbeat? fatemur.

mur, te in bivio positum, ex principiis directis dictamen formare non posse: non enim erit ex principiis dubiis alia conclusio nisi dubia. At applicare has regulas jubeat; & dabitur conclusioni locus.

*** At quodnam ex his principiis eligendum ex necessitate? hic opus, hic labor est. Rigorem sectantes, non nisi tutius eligendum clamitant: cogunt Confessarium, velit nolit, jubeat, ut pœnitens præscriptionem inchoatam dubio superveniente abrumpat, ac restituat id, quod dubium: tutius enim est, inquiunt, non transigere: nam & hoc est dubium. Debito ut cedas, volunt: tutius est. Testamento resignare te cogunt: tutius est. Ex principio incerto restitutionem certam imperant: incertum, an hoc principium de necessitate sit adjiciendum, & certo te adigunt ad restituendum; quia tutius.

LXXXIX. *Electio Principii reflexi in dubio.*

1. Discriminandum est dubium juris a dubio facti. * 2. Pro dubio juris servit regula 1ma, & 2da: pro dubio facti reg. 1ma, 3tia, & 4ta. ** 3. Regula 6ta non est, exceptis quibusdam materiis, de necessitate. ***

* Dubium juris est, si dubitatur de existentia legis, vel ejus obligatione, vel de legitima facultate agendi, aut de legitimo valore actus. Dubium facti, si dubitatur, an actum feceris? an hoc vel illo modo?

** Sic libertas est in possessione adversus legem dubiam: ut si dubites, an votum feceris, non obligaris: at si votum certum sit, adimpletio incerta, teneris adimplere. Utraque resolutio exinde locum habet, quia fundatur in Jure Can. & Civ. quia axiomata sunt, ac principia ab iis tradita, quorum est obscura declarare, ac explicare ea, quæ minus clara apparent (Tract. de LL. XVI. ***). Cæterum an libertas, an lex sit in possessione, respice, quænam ex his sit prior. E. g. die Jovis dubitas, an sonuerit noctis 12ma; liber es ab abstinentia carnis, eoquod lex sit posterior: idem contingat die Sabbathi; teneris abstinere, lex est in possessione; cum libertas die Dominica incipiens sit posterior.

*** Id ex sequelis colligimus (LXXXVIII.***). Excipimus eos casus, quorum securitas non dependet a nostro dictamine, sed

ex ipsa oritur rei natura: ut, si immineat damnum certum; nisi eligas tutiora. Sic in materia Sacramentorum est tutius eligendum, ut patet ex propositione 1ma ab Innocentio XI. damnata. Idem in illo casu deciso c. significasti. de homicidio voluntario vel casuali. Cæterum quia ingens lis est inter Casuistas, quandonam obligeris in dubio vel non, alio sic, alio aliter resolvente, prudentiam adhibeto, evita peccandi periculum, ac ex regulis in Jure fundatis (LXXXVIII. *) tibi æqui bonique consule.

XC. *Conscientia Probabilis.*

1. Si minor in syllogismo morali nititur quadam hypothesi gravi, erit conscientia probabilis. * 2. Quæcunque fuerit probabilitas etiam maxima, non excludit directe dubium morale: ** 3. bene vero ex principio reflexo excludere hoc dubium poteris. ***

* Id est, quia non aliter in dato exemplo usura moderata est licita, quam si verum sit, quod contineatur in Majori, seu non ditescentia ex re aliena; recte conscientia probabilis tunc dicitur, si nititur hypothesi: si enim certo constet, quod contineatur, erit moralis certitudo (LXXXIV. ***). Additur *gravi*, prudenti, in sensu supra dato (loc. cit.).

** Probabilitas etiam maxima tamdiu nititur hypothesi, quamdiu non datur certitudo; quod vero moraliter certum non est, moraliter erit dubium (LXXXIV. ***).

*** Si enim in dubio possit dari dictamen moraliter certum (LXXXVIII. 2.), cur non in probabili?

XCI. *Principia reflexa in probabilitate.*

1. Eadem principia, quæ serviunt ad deponendum dubium, serviunt etiam pro probabilitate. * 2. Sunt illa principia moraliter certa in se, & in ordine ad applicationem; ** 3. hinc dictamen moraliter certum elicere ex iis poteris. ***

* Cum enim probabilitas adhuc habeat annexum dubium (XC. **); jam patet, easdem illi regulas ac conscientiæ dubiæ (LXXXVIII. *) applicari posse.

** Fundantur in Ss. Canonibus, Lege Civili, axiomatibus (LXXXIX. **), recepto usu Scholarum (Proleg. XV.).

*** Dictamen est conclusio (LXXXIII. 1.): at ex Præmissis certis utique oritur conclusio certa (Logica).

XCII. *Concursus Probabilitatum.*

1. Si utraque sententia sit æque probabilis: * 2. aut, si una sit magis, una minus probabilis, nullam directe sequi poteris. ** 3. Denuo ad principia reflexa est recurrendum. ***

* ** Nituntur enim dubio morali (XC. **): atqui ad licentiam operationis requiritur certitudo moralis (LXXXIV. **); ergo &c.

*** Non enim est potior ratio pro conscientiæ dubiæ, & probabilis resolutione (LXXXVII. 3. XC. 3.), quam, dum adest concursus.

XCIII. *Principia reflexa in concursu Probabilitatum.*

1. Principia reflexa in concursu æqualis probabilitatis sunt eadem, quæ in conscientia dubia. * 2. Pro sequenda probabiliori sequentia assignantur: ** 3. ut & pro sequendæ minus probabilis licentia. ***

* Dum enim æquales probabilitates sunt in oppositum, erit ipsa conscientia dubia (LXXXVII. 1.); ergo & eædem regulæ valebunt.

** Habetur tanta veritas, qua major exigi nequit: Viri timorati sic sentiunt. Dum verum inveniri nequit, accipiendum, quod propius accedere videtur.

*** 1. Libertas est in possessione, quamdiu lex non est certa. 2. Lex dubia non est lex. 3. Lex æterna obligat per se, non obligat per accidens. 4. Nixus opinione gravi, prudenter operatur. 5. Non datur præceptum sequendi probabiliora. 6. Res est coram Summa Sede agitata, non decisa. 7. Licet sequi probabilissimam. 8. Opinio hæc in Universitatibus docetur. 9. Liber est approbatus in diœcesi, sciente & non contradicente Episcopo.

XCIV. *Horum Principiorum Certitudo moralis.*

1. Tam principia pro ſequendæ probabilioris licentia, * 2. quam minus probabilis, ſunt moraliter certa. ** 3. Non aufertur iis moralis certitudo ex eo, quod plures rigoris amantes ea impugnent. ***

* Id de ſe patet, ac nemo niſi Scepticus dubitat.

** Hic ſe exſerit Zelus quorumdam. Noſtræ rationes ſunt: quoad *1mum* principium. Lex eſt vinculum libertatis; ergo ſupponit pro priori libertatem; ergo moraliter certum eſt, tamdiu illam eſſe immunem a vinculo, quamdiu non certo ligari probatur. Quoad *2dum*. Requirunt a nobis dictamen moraliter certum; ergo & nos requirimus legem moraliter certam; quod *bene notent*. Quoad *3tium*. Si lex æterna non eſt ſufficienter promulgata, eo ipſo deficit illi conditio eſſentialis in tempore (Tract. de LL. IX. 1. XVIII. *). Quoad *4tum*. Petimus, ut non evertant ſtatum quæſtionis; ergo vere probabilem admittant: at operatio probabilis eſt vere prudens (LXXXIV. *** XC. *). Quoad *5tum*. 1. Moraliter certum eſt, neminem ponere legem certam poſſe, qui non ſit Legiſlator (Tract. de LL. I. ***): hic nil decidit, ut ſupponitur: Adverſarios vero tanquam Legislatores a nobis non admitti, moraliter & phyſice certum eſt. 2. Moraliter certum eſt, in deductis interpretationem juris naturæ non niſi Superioribus legitimis conceſſam eſſe (Tract. de LL. XVI. ***); ergo faceſſant iſti interpretes. 3. Temere agit, qui imponit certam obligationem, ubi probabilior tantum eſt; cum falſum ſubeſſe poſſit, atque inde detrimentum certum ex principio incerto naſcatur. Quoad *6tum*. 1. Moraliter certum eſt, Eccleſiam non fallere in morum doctrina (Tract. de Fide.); ergo quia Summa Sedes ad trutinam vocavit, nec tamen decidit, non datur obligatio. 2. Ipſa Summa Sedes uſa eſt noſtra theoria in caſu illius fœminæ, quæ matrimonium cum dubio de morte prioris conjugis contraxit, dum c. Dominus. de 2dis nuptiis reſolvit, eam poſſe debitum reddere. Quoad *7mum*. 1. Moraliter certum eſt; non adeſſe periculum peccati in hac theoria: nam ſi illas ſolum ſententias amplecti teneremur, ubi adeſt minus periculum, deberemus ſequi in omnibus tutiora, quod moraliter falſum eſſe infra con-

 ſtabit.

stabit. 2. Moraliter certum est, licere sequi probabilissimam ex contraria thesi ab Alexandro VIII. damnata: atqui non ut talem (XC. ** LXXXIV. **); ergo ex principiis his reflexis sequi potest conclusio moraliter certa. Quoad 8vum (Proleg. XV.). Quoad 9num. Episcoporum est *regere Ecclesiam DEI.* Act. 20. v. 28. in mores inquirere &c.

*** Sequentia sunt Rhetoris Itali (Proleg. XXII. ***) argumenta contra moralem istorum principiorum certitudinem. 1mo inquit: plures ea impugnant. 2do. Libertas probabilis non est in possessione: vel saltem dubium est, an sit in possessione adversus legem probabiliorem. 3tio. Lex est æterna; ergo in possessione ante libertatem in tempore existentem. 4to. Hæc principia potuerunt etiam damnatis thesibus, imo 5to. hæresibus quibusdam (Tract. de Deo XXXV. 1.) affigi; ergo & hæ fuissent moraliter certæ. 6to. In principiis directis tollitur minor probabilitas a majori: atqui nulli probabilitati non potest affigi dictamen moraliter certum. 7mo. Minus probabile est falsosimile: atqui huic non potest affigi dictamen certum. 8vo. Si lex dubia non esset lex obligans, nulla deinceps præcepta Decalogi obligarent; cum in controversiam ab impiis vocentur. 9no. Datur præceptum scrutandi veriora; ergo & sequendi verosimiliora, seu probabiliora. 10mo. Probabile sequi in concursu probabilioris est imprudentia in millenis casibus, ubi est vitæ corporalis discrimen; ergo a fortiori in animæ discrimine. 11mo. Non excusat ignorantia invincibilis; cum scias existere probabilius legem, eam probabilius obligare. 12mo. Regugnat prudentiæ, scire, probabilius peccari mortaliter, probabilius damnari, attamen esse moraliter certum, se non peccare, sed bene operari, se non damnari, sed remunerationem a Deo exspectare. 13tio. Quid ageres in mortis articulo? at homini semper moriendum, ut semel bene moriatur. ℞. *ad* 1mum. Etiam Atheos impugnare existentiam Dei. *Ad* 2dum. Ostendat legem certam ex probatione nostra 2da (**). *Ad* 3tium. Lex æterna supponit illud decretum ab æterno, causas 2das permittendi suos motus agere; ergo libertas supponitur in priori decreto, quam lex eam stringens. *Ad* 4tum & 5tum. Antequam veritas fuerat detecta, licuit sequi illas opiniones, si meruerint prudentem assensum. *Ad* 6tum. Subjective, id est: ego video, spectatis præ-

missis esse improbabilem respectu alterius probabilioris. C. objective, in se consideratis propriis præmissis gravibus. N. *Ad 7mum.* N. m. imo ex principiis reflexis fit minus probabilis quoad licentiam actionis verosimilior. *Ad 8vum:* Impii quævis audent. *Ad 9num.* In tantum, ut non detur periculum peccandi C. ultra hoc N. *Ad 10mum.* Dependent ibi vitæ corporalis pericula non a conscientia se resolvente, ut fit in moralibus (LXXXII. ***). *Ad 11mum.* Adest ignorantia invincibilis de lege certo existente, remanet solum notitia legis, non sufficienter promulgatæ. *Ad 12mum.* Simul scitur prudenter, non peccari, non esse periculum damnationis; alias status quæstionis tollitur. *Ad 13tium.* Prudenter in mortis articulo quis ageret; ergo esset hoc ipso de salute securus.

XCV. *Exceptio nostræ Theoriæ.*

1. Nostram Theoriam restringere oportet ad casus illos, ubi agitur de Religione: ** 2. de operibus charitatis: ** 3. ac ad quosdam Justitiæ casus. ***

* Id ex propositione 4ta ab Innoc. XI. damnata liquet.

** Idem circa charitatem proximi contingit; prout multæ propositiones id probant ab Alexandro VII. damnatæ; nempe ord. 6ta. 17ma. 18va. 19na.

*** Pariter damnata est propositio 2da ab Innoc. XI. Excipienda item sunt Criminalia, in quibus favendum est reo. Medicus, & Chirurgus non potest probabilia medicamenta applicare relictis probabilioribus. Ratio in his omnibus est, quia in nostra Theoria peccatum formale dependet a conscientia (LXXXII. 1. 2.); removetur proinde periculum: at damnum 3tii, de quo in his casibus agitur, non dependet a mea conscientia.

Nec objicias: tales damnationes non potuissent fieri juxta nostram Theoriam; cum ante illas fuissent probabiles sententiæ, ac proin affigi iis potuisset dictamen moraliter certum; quod sane non sustineret damnationem: quoties enim inculcandum, quæso! has deductas juris naturæ conclusiones fuisse impervias, ut quid certum statueretur; donec accesserit illius declaratio, cujus est interpretari jus naturæ (Tract. de LL. XVI. ***); quod proin firmat regulam in non exceptis.

XCVI. *Conscientia Tuta.*

1. Tutum est, quod me liberat a periculo peccandi contra legem. * 2. Tutius in 2plici sensu sumi potest: adversative, ** 3. & comparative. ***

* Communis est notio: differt a probabili, quod hoc id, quod verum apparet, indigitet; alterum vero, quod magis observat legem, investiget. Sic, qui non laborat die festo, tutius agit; at non in omnium opinione probabilius peccat.

** Adversative idem est, ac periculum peccandi; unde minus tutum in hoc sensu opponitur tuto; quatenus hoc excludit periculum, non illud.

*** Tutius comparative est, si contrarium sit tutius: attamen etiam hoc sit in se aliquid vere simpliciter tutum (*). Sic tute incedo super pontem ligneum, tutius super æneum.

XCVII. *Obligatio Conscientiæ Tutæ.*

1. In omni materia tenemur tuto incedere ad præcavendum peccatum. * 2. In Sacramentis conferendis tenemur eligere tutiora. ** 3. Exceptis casibus, ubi simpliciter tutum ex opposito habet sententiam improbabilem. ***

* Id est: tutius, prout excessum dicit de tuto, non tenemur amplecti. Tutius est vivere in Religione, seu S. Ordine bene morato ac disciplinato, quam in sæculo: at nemo tenetur.

** Ita 1ma Thesis Innocentii XI., cujus oppositum damnavit. Etsi per verba: *absolvo te*, tota essentia exprimatur, quantum ad formam: attamen, quia contrarium est tutius, ac simul probabile, addendum est: *a peccatis tuis.* In tenuissima cerevisia valide baptizamus: attamen tutius est, aquam naturalem applicare; unde tenemur.

*** E. g. Intentio actualis: contritio perfecta sunt comparative tutiora: at contradicunt praxi Ecclesiæ; unde fiunt ex hac parte improbabiles sententiæ oppositæ.

XCVIII. *Probabilitas in Tutitatis Concursu.*

1. In conflictu duarum opinionum æque probabilium possum sequi minus tutam. * 2. Possum sequi opinionem minus

probabilem & minus tutam in concursu probabilioris & tutioris. ** 3. Possum sequi magis probabilem & minus tutam in concursu minus probabilis & magis tutæ. ***

* Sequitur ex thesi Superiori (LXXXVIII. ***): vel potius ipsissima est. Billuart sequentia objicit. 1*mo*. Tutum stat pro lege (XCVI. 1.): atqui jubemur *mandata custodire nimis* Psal. 118. v. 4. 2*do*. *Arcta via est, quæ ducit ad vitam* Matth. 7. v. 14. 3*tio*. Verbum verax non antecedit operantem in dubio: seu ille, qui operatur in dubio, non poterit habere dictamen, veritatem pro se stare. 4*to*. Non potest excusari per ignorantiam. 5*to*. Talis non judicat secundum merita causæ. 6*to*. Ex c. Significasti. de homicidio vol. 7*mo*. c. Illud. de Clerico excom. non permittit Clericum dubie excommunicatum celebrare. Plura habet de probabili conscientia huc pertinentia. Responsio nostra sequetur in membro 3tio.

** Possum enim sequi minus probabilem in concursu probabilioris (XCIII. 3.); ergo etiam, si una sit minus tuta, & altera tutior; dummodo sit vere tuta (XCVII. 1.), sicut debet esse vere probabilis (LXXXIV. 3.).

*** Possum sequi minus probabilem & minus tutam (**); ergo a potiori magis probabilem & minus tutam. Ita tenet Billuart, ut rigorem temperet: at dum vitare charybdim intendit, in scyllam ruit. Objiciunt ipsi 1*mo*. Deus præcepit *custodiri mandata nimis*; ergo sequendum tutius, quod stat pro lege (XCVI. 1.). ℞det. Quodsi teneremur sequi tutiora, si oppositum esset probabilius, etsi minus tutum, via vix foret pervia. Ita & nos ℞demus ad 1mam objectionem (*). Objiciunt ipsi 2*do*. *Via arcta est*. ℞det, fore moraliter impossibilem; cum quivis deberet esse Theologus, ut investigaret tutiora. Idem respondemus ad objectionem 2dam. (*). Objiciunt reliqua omnia: at omnia illius responsa ad nostram de minus probabili theoriam poterunt applicari. Dignetur quis ejus responsa legere; & habebit nostra dictamina reflexa; per quæ ipsa supra jam applicata (XCIV. ***) has solves objectiunculas. Unde sequens invictum argumentum moraliter certum addimus: quando adest major & minor probabilitas in conflictu, major vero probabilitas minus tuta, tunc adest vi probabilitatis dubium (XC. 2.): atqui in hoc dubio secundum Bil-

fuam ac communem, prout refert, tutius non est sequendum; ergo nec in alio. *2do.* Tutius non elidit in hoc casu minus tutum; quin minus tuto ex dictamine reflexo dictamen moraliter certum addi possit; ergo nec elidit magis probabile ita minus probabile; quin addi dictamen moraliter certum possit.

XCIX. *Conscientia Scrupulosa.*

1. Si vanissimis ex motivis illicitam actionem quis credat, est scrupulosus. * 2. Tenetur scrupulum cognitum deponere. ** 3. Quamdiu non est cognitus, non licet contra eum agere. ***

* Sic habet communis: e. g. Si festucam levare credas peccatum grave, eoquod per modum Crucis sita sit, sane scrupulosum te judico. Idem dicerem, si facta historica negare, piaculum duceres, imo seductionis imminere periculum vanus argueres, dum passim ab eruditis Catholicis inficiari cernis.

** Eo ipso, si peccare te credis ob vanissima motiva, te exponis peccati periculo; cum similes levitates moraliter vitari non possint.

*** Sicut de conscientia invincibiliter erronea tenemus (LXXXVI. **).

C. *Conscientia Laxa.*

1. Hæc e diametro opponitur Scrupulosæ. * 2. Laxas sententias defendere non licet. ** 3. Etsi opinio aliqua non sit pientior: attamen inde laxitatis damnari non debet. ***

* Conscientiam enim laxam vocamus, si ex vanissimis motivis aliquid licite fieri contra legem defendatur: e. g. laxam nominamus opinionem, quæ olim, dimidiatis Missis satisfieri præcepto, docuit: laxam, quæ cum manifesto periculo transgressionis legum quid permittit.

** Damnata est ab Innoc. XI. propositio ord. 3tia.

*** E. g. Magis pium est, in Sacramento Confirmationis suscipiendo reum peccati gravis teneri ad confessionem, nec juvare se contritione posse; si adsit copia Confessarii: at propterea sen-

sententia opposita non est laxa. Magis pium, ut quidam putant, est credere, flagellorum numerum ad 6666. ictus crevisse: at laxa opinio non est, quæ conformiter mori Romanorum docet 39. fuisse (Tract. de Incarn. LXXIV. ***).

CI. *Conscientia Perplexa.*

1. Hæc est, si utramque contradictionis partem peccaminosam credas. * 2. Eligendum est id, quod magis a peccato recedere, conscientia dictat. ** 3. In dubio æquali, si operandum sit, elige, quod cupis: non peccabis. ***

* E. g. prout casus habet, si cura ægroti te domi retineat, ac præceptum, audiendi Missam, urgeat: simplicior se peccare putat, sive maneat domi, sive se ad Ecclesiam recipiat.

** Domi manendum, si dictet conscientia: ex duobus enim malis necessariis minus est eligendum (Axioma.).

*** Necessitas eligendi alterutrum liberabit a peccato (LXXII. 1.).

CII. *Species Moralitatis.*

1. Tres sunt species moralitatis: Bonitas, * 2. Malitia, ** 3. Indifferentia. ***

* ** *** Vel enim actus, quem deliberate agis, conformis est legi, vel difformis, vel a lege permittitur: si 1mum, erit bonus: si 2dum, malus: si 3tium, indifferens. Sunt, qui indifferentiam esse moralitatis speciem negant, ne actum indifferentem in individuo teneantur admittere: at plures indifferentiam objectivam statuunt, id est, deliberate concipi actum posse, inquiunt, qui nec sit prohibitus, nec præceptus, ut olfacere, ambulare, sedere. Vocant indifferentiam in specie, seu ex objecto, quatenus actus in se consideratus sub metaphysica abstractione nec est prohibitus, nec præceptus.

CIII. *Bonitatis Moralis Mensura.*

1. Actus dicitur tripliciter bonus: ex objecto: * 2. ex fine, & circumstantiis. ** 3. Debet esse directe intenta bonitas. ***

* ** Id

* ** Id est: si objectum, finis, & circumstantia sit bona, actus erit bonus: si ab uno horum vitiatur, jam non erit bonus; unde axioma: bonum ex integro: malum ex quovis defectu. Cur vero hæc tria assignentur, ratio est: quia, dum actum deliberate committere cupis, jam aderit objectum, seu id, in quod actus tendit: & quia deliberatus actus est, aderit quidam finis; cum alias ab actu indeliberato non differret: tandem millenis occasionibus expositi in mundo, varias circumstantias evitare non possumus.

*** Alias per unicum actum temperantiæ castus, humilis, fortis &c. esses; cum interpretative jejunium ad omnes has virtutes posset referri.

CIV. *Bonitas Moralis ex Objecto.*

1. Objectum dat actui primariam bonitatem. * 2. Inspiciendum proin id, in quod tendat actus deliberatus, quem agere vis: ** 3. attamen objectum moraliter, non physice spectari debet. ***

* Objectum dat esse specificum actui; cum actus nil sit nisi tendentia in objectum; sicut itaque motus a termino (Metaphysica), ita actus ab objecto suam speciem accipit.

** Actus erit injustitiæ, si tendit in rem alienam alteri eripiendam: actus turpis, si in rem veneream: actus Religionis, si circa cultum Divinum versatur.

*** Circa idem objectum physice consideratum possunt versari actus specie diversi, bonus & malus: e. g. circa eandem rem alienam actus injustitiæ auferendo, justitiæ restituendo; ergo ut objectum det distinctionem specificam, debet spectari moraliter.

CV. *Bonitas Moralis ex Fine.*

1. Etiam finis confert actui bonitatem. * 2. Non debet intelligi finis operis; ** 3. sed operantis. ***

* ** *** Sit objectum, in quod tendit actus, prorsus indifferens, ut potus aquæ frigidæ: at des alteri, ut ostendas benevolentiæ signum: en! erit actus ex fine bonus. Ancilla

men-

mendacium ad litem sopiendam committat, quod illicitum esse invincibiliter ignoret, erit actus malus ex objecto & fine operis, bonus ex fine operantis.

CVI. *Bonitas Moralis ex Circumstantiis.*

1. Circumstantia est accidens actus humani, ipsum in esse morali jam constitutum moraliter afficiens. * 2. Circumstantia aliquando dat novam bonitatem: ** 3. aliquando tantum adauget. ***

* Si constitutus non esset, indueret rationem objecti, ac proinde daret primariam speciem bonitatis. Porro moraliter debet afficere: id est, ut sit circumstantia, quæ conformis sit regulis morum.

** Distinguitur alia, quæ speciem mutat: alia, quæ intra eandem speciem aggravat, vel minuit. Prima est, si addat bonitatem, quam actus nondum habet, ut eleemosyna pro diluendis peccatis. Altera, quæ in- vel extendit eandem bonitatem jam prius habitam: ut est actus amoris intensior, actus eleemosynæ largior, ac liberalior. Jam, si sit speciem mutans, addit novam bonitatem: at

*** Si sit aggravans, intendit, vel auget.

CVII. *Malitiæ Moralis Mensura.*

1. Actus tripliciter malus est: ex objecto, fine, & circumstantiis. * 2. Sufficit, si unum istorum sit malum, ad malitiam moralem. ** 3. Adhuc peculiare discrimen est inter bonitatem, ac malitiam moralem. ***

* Nempe si objectum, finis, & circumstantia sint difformia regulis morum, erit actus malus in genere moris.

** Sic vitiatur eleemosyna ex vana gloria pauperi porrecta: bonum enim ex integro, malum ex quolibet defectu (Axioma).

*** Malitia non debet directe intendi, sed sufficit interpretativa: pauci expresse offendere Deum cupiunt. Impurus cuperet indulgere libidini, simul ut offensa Dei non esset; ergo adhuc habetur differentia ab actu bono (CIII. 3.).

CVIII. *Malitia Moralis ex Objecto.*

1. Objectum dat actui primariam malitiam. * 2. Inspiciendum pariter, an objectum sit prohibitum. ** 3. Moraliter considerari debet. ***

* ** *** Est eadem ratio, ac de actu bono moraliter locuti sumus (CIV.).

CIX. *Malitia Moralis ex Fine.*

1. Si finis sit malus, totus actus est malus. * 2. Si finis partialiter bonus sit, partialiter erit actus bonus. ** 3. Si finis influat ut ratio motiva, etsi partialis sit, inficit actum ex toto. ***

* Matth. 6. v. 23. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Id Ss. Patres de mala intentione, quæ est tendentia in finem, exponunt.

** Nimium rigorem sectantur, qui vitiari actum literatum credunt, quem ad discipulos informandos primario ponit Magister; etsi quid vanæ gloriæ intermisceatur. Zelus immoderatus plerumque pientiores in suis correctionibus afficit; quis inde totam correctionem vitiosam esse credat?

*** In dicto casu, si ratio motiva esset vana gloria, etsi simul eruditio intermisceatur, totum actum reputaremus vitiosum.

CX. *Malitia Moralis ex Circumstantiis.*

1. Circumstantiæ addunt subinde primariam malitiam: * 2. plerumque accidentalem. ** 3. Circumstantia actus externi non addit essentialem, sed accidentalem malitiam aut bonitatem, distinctam tamen. ***

* E. g. Si objectum bonum, finis bonus, at circumstantia mala: sic actus conjugalis incautus, aut in loco indebito exercitus, vitiatur ex circumstantia primario.

** Nempe, si in sua specie morali jam positus sit actus.

*** Altercari de nomine videntur duæ insignes Scholæ. Admittunt D. Thomæ Discipuli, aureolas actibus quibusdam externis tribui: admittunt, eos in confessione exprimendos esse, sicque satisfaciunt propositioni 25tæ ab Alexandro VII. damnatæ:

innatæ: admittunt, actum externum æque esse malum, & contra legem committi, ac internum: vix colligi posse statum pœnitentis, nisi actus externus exprimatur: actum externum denotare intensionem ac efficaciam actus interni. In eo discrepant, dum vix possibile esse ajunt, quod minorem mercedem accipiat efficax voluntas pauperis, si destituatur fortuna, ut actu eleemosynam largiatur. Martyrii desiderium eandem mercedem essentialem promereri dicunt; solum accidentale præmium abesse. Scotistæ idem arbitrantur: non nisi accidentale præmium statui, dicunt illis, qui desiderio Martyrii ipsam tormentorum passionem connectunt. Libertatem distinctam concipiunt, quatenus eadem voluntas libere actum internum elicit, ac externum exequitur. Distincta præcepta in decalogo prætendunt; dum ipsa fornicatio præcepto 6to, ac desiderium præcepto 9no prohibetur. Inde diversa moralitatis principia deducunt, ut, si non specie, saltem entitate distinctam bonitatem, vel malitiam in actu externo inveniant. Nostro judicio res est levis adeo momenti, ut suum cuique sit volupe: id certum est ex prædicta propositione damnata, quatenus confessionem attinet, nil contra Thomistas inferri: cum enim ex Trident. Sess. 14. cap. 5. peccata specie, & numero distincta confiteri teneamur, asserere oporteret, actum externum esse specie, vel numero distinctum peccatum: at 1mum aperte falsum est; cum tendat in idem objectum (CVIII.): falsum etiam alterum; secus essent duo peccata numero distincta, si volitioni furtivæ furtum conjungeres.

CXI. *Indifferentia Moralis.*

1. Indifferentia objectiva est vera species moralitatis. * 2. Idem de subjectiva tenemus. ** 3. Nimii rigoris arguimus, qui actum, quantumvis deliberatum, indifferentem esse non posse prætendunt.

* Indifferentia objectiva est, si actus quidam nec prohibetur, nec præcipitur, ac propterea nec bonus, nec malus est. Tales dantur in vita humana quam plurimi: spuere, sedere, ambulare &c. nec est præceptum, nec prohibitum, nec est secundum, nec contra legem; unde indifferens est: insuper moralis manet; nempe supponitur, quod sedeam deliberate: erit voluntaria sessio: supponitur, quod sedere possim, aut

 stare:

ſtare: erit ſeſſio libera: tandem ſupponitur, quod ſit lex permittens, prout Magiſter ſuis quid diſcipulis indulget: & erit nec contra, nec juxta legem: ſed erit lege permittente; ergo manet vere moralis (LXVIII.).

** *** At an in individuo detur, hic cum Thomiſtis diſceptamus. Status quæſtionis in eo eſt, an teneamur omnes prorſus actus deliberatos referre ad finem ultimum (XLIII.)? an non liceat unum vel alterum referre ad finem intermedium (XL. 1.)? an ſemper honeſtum, nunquam utile vel delectabile (XXXIX), ſi NB. deliberate agimus, ſit præfigendum? e. g. an deliberate, præmeditate ſpuere, ut vulgare exemplum ponamus, non liceat, quin hunc actum referam ad finem ultimum, ad gloriam Dei, ut propterea, ſi non referam, peccem, vel actum malum committam; ſi referam, actum bonum. Id prætendunt D. Thomæ Diſcipuli: Scotiſtæ, nimium rigorem advertentes, conſulunt ſuavi jugo, ac contrarium defendunt. Rationes quaſdam dedimus ſupra (XLIV.): quibus ſequentes apponimus: *1mo.* Quatuor intentionum ſpecies diſtinguimus: actualem, habitualem, virtualem, interpretativam. Intentio eſt tendentia voluntatis in objectum: ſi actui, quem ponere cupis, illam immediate præmittas, erit actualis: ſi inter actum hunc, & tuam intentionem, illum ponendi, interponantur alii diſparati, erit habitualis: ſi æquiparati, erit virtualis: ſi actui prorſus nulla intentio præceſſit, ſed materialiter agas, ita tamen, ut interroganti reſponderes, te e. g. recitare velle breviarium, excipere confeſſiones, erit interpretativa. Jam, ſi teneremur actu omnia referre, foret jugum infirmitatem noſtram plane ſuperans: ſi virtualiter, vix de jugo quidpiam detraheretur: ſi habitualiter tantum, graviter minime accideret: at videtur extra quæſtionis ſtatum poni theſis; cum in eo verſetur lis; an teneamur in omnibus prorſus actibus ita agere formaliter propter finem honeſtum, ut nunquam vel in unico actu liceat agere præmeditate, deliberate, exercite, ob finem intermedium; ergo ſemper actualis aut ad ſummum virtualis intentio requireretur. *2do.* Petimus, ut oſtendatur lex certa id imperans. *3tio.* Diſparitatem iis ineſſe credimus, quæ præciſe a Deo ad noſtros ſenſus delectandos creata ſunt, ab iis, quæ ad alium finem ſunt creata, prout ea eſſe comperimus, quæ in propoſitionibus damnatis continentur (XLIV. **). *4to.* Speciem conſervari in individuis,

neceſſe

necesse est; ergo sicut datur indifferentia specifica (CII. ***), ita & individualis. *5to.* In compendio sequens proferimus argumentum. Actum indifferentem non excludit finis ultimus (XLIV.): non moralitas ipsa (*): alias nec dari posset actus in specie indifferens (CII. ***): tandem sententia contraria imponit jugum insupportabile (ex prob. 1.); ergo datur. *6to.* Non potest evinci, quod illud monitum Apostoli 1. Cor. 10. v. 31. sit potius præceptum, quam consilium: si enim imperativus *facite* evinceret præceptum, omnia consilia Evangelica præcepta forent: *vade, vende, quæ habes, & da pauperibus.* Matth. 19. v. 21. *7mo.* Vel neganda erunt omnia principia reflexa (XCIII. ***): vel ex his moraliter certum te reddere poteris, ut non pecces. Quæ opponunt, sunt præter nuper examinata *1mo.* Illud Apost. 1. Cor. 10. *2do.* Quod de verbo otioso (indifferenti) sit ratio reddenda. Matth. 12. v. 36. *3tio.* Agglomerant Ss. Patrum dicta. *4to.* Omnes actus, ajunt, non licet universim referre ad sensibilia: ergo, quia militat eadem ratio, nullum licebit ad ad hunc finem deliberate referre. Respondetur *ad 1mum.* omnia in gloriam Dei esse referenda, dicimus ex consilio, non præcepto, vel ly *omnia* in sensu accomodo sumendum arbitramur. *Ad 2dum.* Ne tot expositionibus moram faciamus, explicamus, otiosum esse, quod nec fini ultimo, nec intermedio poterit inservire. *Ad 3tium.* Ss. PP. extrema devitant, ac laxitatem Doctrinæ; unde cum intentione Ecclesiæ coincidunt, ne in aliqua materia nimium indulgeatur, contra quod vitium peccat *4ta* objectio, si admitteretur antecedens: non vero, dum consequens negatur.

PARERGA.

1. Idea Dei innata nobis est.
2. Constitutivum Dei est Infinitas radicalis.
3. Attributa distinctionem formalem admittunt; quin Gilberti error sequatur.
4. Nemo Sanctorum vidit Deum in Terris.
5. Non meritis tantum, sed & aciei Intellectus proportionalis est Visio B.
6. Joannes XXIII. inclinavit in sententiam Millenariorum: nil circa Dogma decidit.

7. Medium, cognoſcendi futura abſoluta contingentia, aptiſſime ponitur ſyſtema condecreti.
8. Idem tenemus de futuribilibus.
9. Prædeſtinationem non eſſe gratuitam defendimus.
10. Voluntatem ſeriam ſalvandi omnes in Deo adoramus.
11. Myſterium Ss. Trinitatis fide, non ratione evincitur.
12. Evidenter probari nequit exiſtentia Angelorum.
13. Lex eſſentialiter eſt Norma cum Imperio.
14. Promulgatio & acceptatio non eſt de intrinſeca legum ratione.
15. Jus Naturæ eſt ipſa lex æterna, cordibus ab Authore naturæ inſita.
16. Intrinſece bona & mala ex oppoſitione ad prædicata Divina optime noſces.
17. In Lege naturæ nunquam fuit diſpenſatum.
18. Legis V. Præcepta erant vere Divina, non niſi relative imperfecta.
19. Lex vetus non fuit ſtatim mortifera in lege Evangelica, licet mortua.
20. Regimen Monarchicum Ariſtocratia temperatum omnium optimum in terris eſſe videtur.
21. Datur Poteſtas tam ſacra, quam profana, veras condendi leges.
22. Nulla Poteſtas Politica, bene vero Eccleſiaſtica ſummi Pontificis & Epiſcoporum eſt immediate a Deo.
23. Actus mere interni directe a Poteſtate ſacra, non profana poſſunt præcipi.
24. Jus in ſacra non competit Laicæ Poteſtati.
25. Nec in materia gravi leviter:
26. Nec viciſſim poteſt obligare Legislator.
27. Subditus, Territorium,
28. Ut & directio legibus ſubſunt.
29. Ignorantia pœnæ non excuſat a culpa.
30. Actus irritus in foro externo eſt etiam irritus in foro interno.
31. Diſpenſationes abs juſta cauſa ſunt invalidæ.
32. Lex humana prior tollitur per poſteriorem, & per conſuetudinem contrariam.
33. Pelagius erravit, negando gratiam voluntatis.
34. Efficax ſemper manet repudiabilis.
35. Juſtificatio non conſiſtit in favore extrinſeco, ſed in gratia inhærente.
36. Fides explicita in Chriſtum eſt neceſſaria neceſſitate Medii.
37. Ad Fidei Profeſſionem externam, non ſolum internam tenemur.
38. Sub ſignis proteſtativis falſæ Religionis tegere fidem non licet.
39. Fallebatur Tertullianus, fugam Torturæ negationem eſſe Fidei, aſſerens.

40. Du-

40. Dubitans positive de veritate aliqua, quam scit esse revelatam, incurrit censuras.
41. Hæresis occultæ censuram non incurrit animo Hæretico disputans.
42. Sacra Scriptura est prima Fidei Regula; sæpe tamen obscura.
43. Etiam in articulis, ut dicunt, fundamentalibus exigitur Judicium Ecclesiæ.
44. Non est simpliciter necessaria;
45. Imo nec sufficiens Fidei Regula.
46. Ecclesia Canoni Esdrino optimo Jure apposuit Libros deutero-Canonicos.
47. Vulgata est autentica.
48. Epistola ad Hebræos vere est Pauli.
49. Fontes Hebræi ab autentia excludi nequeunt.
50. Traditiones non minus sunt necessariæ, quam ipsa Scriptura.
51. Non est periculum in Ecclesia Catholica, introducendi falsas Traditiones in Dogmatibus.
52. Ecclesia militans considerari debet in ordine ad corpus & animam.
53. Catechumenus ad animam: Hæreticus occultus tantum ad corpus pertinet.
54. Ecclesia quoad corpus semper fuit, est, & erit visibilis.
55. Nunquam erravit in Fide.
56. Est infallibilis in Orthodoxia & Heterodoxia textuum Dogmaticorum:
57. Ut & in moribus (exceptis privatis):
58. Ac factis, quæ cum quæstione Juris vel morum sunt connexa.
59. Systema illud, interrogandi in dubiis Fidei Principes sæculares, est omnino impertinens.
60. Prudenter agunt Catholici, dum ad Judicium Ecclesiæ recurrunt.
61. Imprudenter vero recurrunt Hæretici ad suum Spiritum privatum.
62. Ecclesiæ singularis nota est unitas Doctrinæ, in sola Ecclesia Romana conspicua.
63. S. Petrus Primatum Honoris, & Jurisdictionis tenuit.
64. In Successores Jure Divino transiit.
65. Authoritas summi Pontificis congrue explicatur per Regimen Monarchicum,
66. Aristocratia temperatum.
67. Primatus consistit in reservatis essentialibus.
68. Non falli Ecclesiam in Canonizatione Sanctorum, credimus.
69. Quod Pontifex solus decidens loqui ex Cathedra dicatur, non est adeo liquidum.
70. Est Dominus totius orbis in spiritualibus:

71. Non

71. **Non temporalibus.**
72. Justitia legalis obligat subditos in conscientia ad solvenda tributa.
73. Clericorum Dominium in superflua tunc negatur;
74. Si Portio Pauperum iis adjecta sit; prout probabiliter tenemus.
75. Tunc vero eroganda in pauperes erunt Jure naturali; secus, tantum Ecclesiastico.
76. Feripetæ juste puniuntur: at simul moderate.
77. Omnis mala fides: non omnis dubia repugnat præscriptioni.
78. Messiam venisse, illumque esse JEsum Christum, ex Prophetis liquet.
79. Septuaginta hebdomades non a Cyro, sed ab Artaxerxis anno 7mo computari debent.
80. Disciplina Arcani non contradicit septenario Sacramentorum numero: multo minus S. Scriptura.
81. Quilibet cujuslibet non est Minister.
82. Minister tenetur Peccatori publico etiam publice petenti negare Sacramenta cum dispendio vitæ.
83. Baptismus necessarius est necessitate medii vel in re vel in voto.
84. Hoc votum non necessario debet esse explicitum.
85. Baptismus licite confertur Parvulis, etiam invitis Parentibus.
86. Confirmationis Sacramentum S. Scriptura & Traditio probat.
87. Esse necessarium necessitate Præcepti Divini graviter obligantis, prætendunt nonnulli.
88. Communio sub utraque specie non est præcepta:
89. Ac justis de causis laicis interdicta.
90. Eucharistiæ adoratio non est praxis recentioris ætatis.
91. Attritio formidolosa non videtur sufficere cum Sacramento.
92. Sacramentum Ordinis constituit veram Hierarchiam inter Episcopos, Presbyteros, & Diaconos.
93. Episcopi sunt jure Divino superiores Presbyteris.
94. Sponsalia metu gravi extorta jure naturæ sunt invalida.
95. Solvuntur etiam per graves status mutationes:
96. Ac mutuo consensu.
97. Matrimonium ratum solvitur Professione Religiosa:
98. Consummatum nec per dispensationem, Professionem,
99. Nec per adulterium.
100. Datur in Ecclesia Potestas, tum impedimenta impedientia, tum dirimentia ponendi.

O. A. M. D. G. D. V. S. L. C. H.

71. **Non temporalibus.**
72. Justitia legalis obligat subditos in conscientia ad solvenda tributa.
73. Clericorum Dominium in superflua tunc negatur;
74. Si Portio Pauperum iis adjecta sit; prout probabiliter tenemus.
75. Tunc vero eroganda in pauperes erunt Jure naturali; secus, tantum Ecclesiastico.
76. Feripetæ juste puniuntur: at simul moderate.
77. Omnis mala fides: non omnis dubia repugnat præscriptioni.
78. Messiam venisse, illumque esse JEsum Christum, ex Prophetis liquet.
79. Septuaginta hebdomades non a Cyro, sed ab Artaxerxis anno 7mo computari debent.
80. Disciplina Arcani non contradicit septenario Sacramentorum numero: multo minus S. Scriptura.
81. Quilibet cujuslibet non est Minister.
82. Minister tenetur Peccatori publico etiam publice petenti negare Sacramenta cum dispendio vitæ.
83. Baptismus necessarius est necessitate medii vel in re vel in voto.
84. Hoc votum non necessario debet esse explicitum.
85. Baptismus licite confertur Parvulis, etiam invitis Parentibus.
86. Confirmationis Sacramentum S. Scriptura & Traditio probat.
87. Esse necessarium necessitate Præcepti Divini graviter obligantis, prætendunt nonnulli.
88. Communio sub utraque specie non est præcepta:
89. Ac justis de causis laicis interdicta.
90. Eucharistiæ adoratio non est praxis recentioris ætatis.
91. Attritio formidolosa non videtur sufficere cum Sacramento.
92. Sacramentum Ordinis constituit veram Hierarchiam inter Episcopos, Presbyteros, & Diaconos.
93. Episcopi sunt jure Divino superiores Presbyteris.
94. Sponsalia metu gravi extorta jure naturæ sunt invalida.
95. Solvuntur etiam per graves status mutationes:
96. Ac mutuo consensu.
97. Matrimonium ratum solvitur Professione Religiosa:
98. Consummatum nec per dispensationem, Professionem,
99. Nec per adulterium.
100. Datur in Ecclesia Potestas, tum impedimenta impedientia, tum dirimentia ponendi.

O. A. M. D. G. D. V. S. L. C. H.

71. **Non temporalibus.**
72. Justitia legalis obligat subditos in conscientia ad solvenda tributa.
73. Clericorum Dominium in superflua tunc negatur;
74. Si Portio Pauperum iis adjecta sit, prout probabiliter tenemus.
75. Tunc vero eroganda in pauperes erunt Jure naturali; secus, tantum Ecclesiastico.
76. Feripetæ juste puniuntur: at simul moderate.
77. Omnis mala fides: non omnis dubia repugnat præscriptioni.
78. Messiam venisse, illumque esse JEsum Christum, ex Prophetis liquet.
79. Septuaginta hebdomades non a Cyro, sed ab Artaxerxis anno 7mo computari debent.
80. Disciplina Arcani non contradicit septenario Sacramentorum numero: multo minus S. Scriptura.
81. Quilibet cujuslibet non est Minister.
82. Minister tenetur Peccatori publico etiam publice petenti negare Sacramenta cum dispendio vitæ.
83. Baptismus necessarius est necessitate medii vel in re vel in voto.
84. Hoc votum non necessario debet esse explicitum.
85. Baptismus licite confertur Parvulis, etiam invitis Parentibus.
86. Confirmationis Sacramentum S. Scriptura & Traditio probat.
87. Esse necessarium necessitate Præcepti Divini graviter obligantis, prætendunt nonnulli.
88. Communio sub utraque specie non est præcepta:
89. Ac justis de causis laicis interdicta.
90. Eucharistiæ adoratio non est praxis recentioris ætatis.
91. Attritio formidolosa non videtur sufficere cum Sacramento.
92. Sacramentum Ordinis constituit veram Hierarchiam inter Episcopos, Presbyteros, & Diaconos.
93. Episcopi sunt jure Divino superiores Presbyteris.
94. Sponsalia metu gravi extorta jure naturæ sunt invalida.
95. Solvuntur etiam per graves status mutationes:
96. Ac mutuo consensu.
97. Matrimonium ratum solvitur Professione Religiosa:
98. Consummatum nec per dispensationem, Professionem,
99. Nec per adulterium.
100. Datur in Ecclesia Potestas, tum impedimenta impedientia, tum dirimentia ponendi.

O. A. M. D. G. D. V. S. L. C. H.

71. Non temporalibus.
72. Juſtitia legalis obligat ſubditos in conſcientia ad ſolvenda tributa.
73. Clericorum Dominium in ſuperflua tunc negatur;
74. Si Portio Pauperum iis adjecta ſit; prout probabiliter tenemus.
75. Tunc vero eroganda in pauperes erunt Jure naturali; ſecus, tantum Eccleſiaſtico.
76. Feripetæ juſte puniuntur: at ſimul moderate.
77. Omnis mala fides: non omnis dubia repugnat præſcriptioni.
78. Meſſiam veniſſe, illumque eſſe JEſum Chriſtum, ex Prophetis liquet.
79. Septuaginta hebdomades non a Cyro, ſed ab Artaxerxis anno 7mo computari debent.
80. Diſciplina Arcani non contradicit ſeptenario Sacramentorum numero: multo minus S. Scriptura.
81. Quilibet cujuslibet non eſt Miniſter.
82. Miniſter tenetur Peccatori publico etiam publice petenti negare Sacramenta cum diſpendio vitæ.
83. Baptiſmus neceſſarius eſt neceſſitate medii vel in re vel in voto.
84. Hoc votum non neceſſario debet eſſe explicitum.
85. Baptiſmus licite confertur Parvulis, etiam invitis Parentibus.
86. Confirmationis Sacramentum S. Scriptura & Traditio probat.
87. Eſſe neceſſarium neceſſitate Præcepti Divini graviter obligantis, prætendunt nonnulli.
88. Communio ſub utraque ſpecie non eſt præcepta:
89. Ac juſtis de cauſis laicis interdicta.
90. Euchariſtiæ adoratio non eſt praxis recentioris ætatis.
91. Attritio formidoloſa non videtur ſufficere cum Sacramento.
92. Sacramentum Ordinis conſtituit veram Hierarchiam inter Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos.
93. Epiſcopi ſunt jure Divino ſuperiores Presbyteris.
94. Sponſalia metu gravi extorta jure naturæ ſunt invalida.
95. Solvuntur etiam per graves ſtatus mutationes:
96. Ac mutuo conſenſu.
97. Matrimonium ratum ſolvitur Profeſſione Religioſa:
98. Conſummatum nec per diſpenſationem, Profeſſionem,
99. Nec per adulterium.
100. Datur in Eccleſia Poteſtas, tum impedimenta impedientia, tum dirimentia ponendi.

O. A. M. D. G. D. V. S. L. C. H.